MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-15

Master Negative #

93-81627-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Vogelreuter, Otto. 1855-
De praepositionibus quae cum ternis casibus construuntur apud Aristophanem.
Regimonti Borussorum 1884. O. 3, + 67 + 1, p. 60652

See next card.

2

Doctor's dissertation at Königsberg (Ger.) university.

No. 6 of a vol. of pamphlets.

60652

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AUTHOR:

VOGELREUTER, OTTO

TITLE:

DE PRAEPOSITIONIBUS...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1884

DE PRAEPOSITIONIBUS, QUAE CUM TERNIS CASIBUS CONSTRUUNTUR, APUD ARISTOPHANEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XVI. MENS. AUG. A. MDCCCLXXXIV. HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO VOGELREUTER.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

G. DIRICHLET, DR. PHIL.

O. SCHULTZ, STUD. PHIL.

REGIMONTI BORUSSORUM.

MDCCCLXXXIV.

TYPIS KIEWNINGIANIS.

VIRIS HUMANISSIMIS

J. BUETTLER

DRESDENSI

ET

A. LUDWICH PROF. DR.

REGIMONTANO

GRATO ANIMO

D.

AUCTOR.

Praepositionum usum et significationem maxime perspicua tum demum constat fore, cum omnium vel plerorumque scriptorum proprietates abunde cognitae erunt. Quoad disputationes de hac materia tam rarae futurae sint quam habemus, plana praepositionum cognitio deficiet. Sane postremo tempore apud nonnullos scriptores praecipue Graecos praepositionum usurpandarum propria ratio inquiri coepta est, ut apud Homerum, Thucydidem, Polybium, Pausaniam*), quales quaestiones optabilius est continuari.

Nihil usque ad hunc diem de praepositionibus apud Aristophanem Comicum est tractatum, praetermissis eis, quae vel a grammaticis vel ab editoribus comoediarum vel a lexicographis pauca tantum ὡς ἐν παρέργῳ annotata sunt. Cumque eorum, qui in Aristophanis comoediis explicandis versati sunt, neminem certe fugerit, poetam in usu praepositionum multa praebere et propria et singularia, hoc propositum mihi habeo, ut disseram, quomodo

*) Cf. Fritsch., Die obliquen Casus u. d. Praep. der griech. Spr.
Schwarz., De praepos. Graecis et Lat.
C. G. Schmidt., De praepos. Graecis.
Guenther., De usu praepos. apud Hom.
Kuemell., De praepositionis ἐπί usu Thucydideo.
Grundstroem., De usu praep. πρός apud Thuc.
Debbert., De praep. περί et ἀμφί usu Thuc.
Schaarschmidt., De ἐπί praep. ap. Pausaniam periegetam vi et usu.
Krebs., Die Praepos. bei Polybius. —

Aristophanes praepositionibus, quae cum ternis casibus construuntur, utatur.

Textum secuti sumus comoediarum Theod. Bergkii (Teub., edit. alt. corr.), fragmentorum Dindorfii. Ubi in Bergkii editione maxime discrepent a vulgari lectione loci, de quibus agitur, in ipsa dissertatione mihi visum est exponendum esse.

Tractabuntur praepositiones ex ordine quodam, quo efficiatur, ut quae praepositio saepissime et quae rarissime usurpetur dilucide perspiciamus. Quare incipiemus a particula *ἐπί*, tum tractabimus *πρός*, *παρά*, *περί*, *ὑπό*, *μετά*, *ἀμφί*.

§ 1.

ἐ π ί.

Praepositio *ἐπί* habet naturalem et principalem significationem „bei, auf". Kuehner. Gr. Gr. 1835, II, 293 sqq. Schmidt. De praep. Gr. 43 sqq.

Haec omnium praepositionum, quae cum tribus casibus constructae in Aristophanis comoediis et fragmentis supersunt, maxime frequentata est; nam trecenties septuagies sexies invenitur. De casuum usu dicendum est, genetivum, qui tribus et octoginta locis legitur, magis recedere, ceteros casus pari fere numero esse, cum dativus centies quadragies quinquies exstet, accusativus quod sciam dativum tribus exemplis praecedat.

Ordiamur si placet a genetivo casu.

Primaria atque ingenita significatio localis est. Kuehnero non possum non astipulari, qui *ἐπί* praepositione significari disserit alicuius rei summam aream, ut particulam genetivo appositam vernaculae linguae voce „auf" vertendam esse appareat, si homines in aliqua re sedere vel res in ea esse dicantur. Ab Homero usque ad recentissimos antiquitatis scriptores ista praepositionis notio occurrit;

ut ille dicit *καθέζετ' ἐπὶ θρόνου* Il. A, 536, *ἐπὶ πύργου ἔστη* *Π*, 700, *κεῖται ἐπὶ χθονός* *Υ*, 345, sic apud Aristophanem sunt locutiones *καθῆσθαι ἐπὶ ταυτησὶ τῆς πέτρας* Eq. 754. *ἐπὶ τῶν σκήπτρων* Av. 510. *ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων* Ach. 638 „in extremis natibus sedere", ubi Scholiastes dicit: „*παρὰ τὴν παροιμίαν ἐπ' ἄκρων τῶν ὀνύχων ἔπαιξεν ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων εἰπών . οἱ γὰρ ἡδέως τι ἀκούοντες δοκοῦσιν ἐπάνω τῶν πυγῶν καθέζεσθαι. — εἰώθασι γὰρ οἱ ἀλαζόνες ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν καὶ οἱ ἐπαίνων εἰς ἑαυτοὺς γιγνομένων ἀκούοντες τὴν πυγὴν τῆς καθέδρας ἐξαίρειν*". Neque aliter Suidas in v. *πυγιδίων*. Est igitur proverbium, ut Schol. notat, quo poeta allusit, at *παρὰ προσδοκίαν* dixit Comicus *πυγιδίων* pro *ὀνύχων*. Apud Sophoclem in Ai. 1230 legimus:

ἦ που τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο
ὑφήλ' ἐκόμπεις κἀπ' ἄκρων ὡδοιπόρεις,

et Schol. ad istud *κἀπ' ἄκρων*: „*ἐπ' ἄκρων δακτύλων ἔβαινες γαυρῶν*". Vid. Nauck. ad h. v., qui interpretans verbum *ἀκροβατεῖν* citat. Conf. etiam verbum *ἀνορταλίζειν* Eq. 1344, ad quod Suid. annotat: „*λέγεται ἐπὶ τῶν ἀρχομένων ἀναπτεροῦσθαι ὀρνέων*". Alia huius generis exempla *καθέζεσθαι ἐπὶ τοῦ πρώτου ξύλου* Vesp. 90. *ἐπὶ τοῦ βήματος* Plut. 382; cf. Fragm. 408. *ἵζεσθαι μελίας ἐπὶ φυλλοκόμου* Av. 742. *κατακεῖσθαι ἐφ' ἁρμαμαξῶν* Ach. 70. *οἰκεῖν ἐπὶ λόφων* Av. 293. *ἐπὶ πετρῶν* ib. 836. *καθεύδειν ἐπὶ ξύλου* Nub. 1431. *ἐπὶ τοῦ τέγους* Vesp. 68; cf. Frg. 274. *στήσομαι ἐπὶ τυροκνήστιδος* Lys. 231. 232; cf. Frg. 182. *ἐπεῖναι ἐπ' ἀσπίδων* Ran. 928, *ἐπὶ τοῦ πίνακος* Pl. 996. *εἶναι* vel cognatum vocabulum cogitando assumendum est Nub. 218 *ἐπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ*. Lys 389 *ἐπὶ τῶν τεγῶν*. ib. 395 *ἐπὶ τοῦ τέγους*, cf. Nub. 1502. Lys. 923. Ran. 1403. Pl. 1014. Per metaphoram *ἐπί* cum verbo *εἶναι* copulatum usurpatur Nub. 1176 *ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστίν Ἀττικὸν βλέπος* = „in facie", et Pl. 256 *ἔστ' ἐπ' αὐτῆς τῆς*

ἀκμῆς = „in discrimine“; cf. Herod. 6, 11 ἐπὶ ξυροῦ γὰρ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ πράγματα ἢ εἶναι ἐλεοθέροισι ἢ δούλοισι et Hom. Il. *K*, 173 ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς; vid. etiam Theogn. 557. Soph. Ant. 996. Huc pertinet Lys. 31 ἐπ' ὀλίγου γὰρ εἴχετο, quo loco ἔχεσθαι nihil aliud valet quam εἶναι hac sententia „neque enim multum afuit quin (periret Graecia)“. Non aliter ἐς ὀλίγον apud Thucyd. 4, 129: ἐς ὀλίγον ἀφίκετο νικηθῆναι.

Deinde eandem praepositioni vim esse elucet ex his: ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς Av. 487, 515. φέρειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς Eccl. 222, Pl. 1198, ut Hom. κ, 170 ἐπ' ὤμου φέρειν et λαβεῖν Anacr. 12, 8; ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φ. etiam Herod. 5, 12. εὑρίσκειν ἐπὶ τῆς κλίνης ὄφιν Eccl. 909; cf. Lys. 575, 732. Herod. 1, 182 ἀμπαύεσθαι ἐπὶ κλίνης. Luc. Asin. 3 κοιμᾶσθαι ἐπὶ κλ. — ᾄδειν ἐπὶ τῶν κραδῶν Av. 40, qua ex locutione formatum est comice ᾄδειν ἐπὶ τῶν δικῶν ib. 41. ἀναγιγνώσκειν ἐπὶ τῆς νεώς Ran. 52. ἐφ' ὅτου (h. e. βωμοῦ) θύσομεν Pac. 938, veluti Xen. Mem. 1, 1, 2 θύειν ἐπὶ βωμοῦ. — λίθον με ποίησον, ἐφ' οὗ τὰς χοιρίνα ἀριθμοῦσιν Vesp. 332. χέζειν ἐπὶ χρυσῶν ὀρῶν Ach. 82. ἐπὶ ταυτησὶ (sc. τῆς τραπέζης) κατακνησθείην Eq. 771. ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν ib. 956. ἐπὶ τῶν μηρίων πληγὲν μαχαίρᾳ τῇδε Th. 693.

His locis, quibus persona vel res alteri rei imposita esse dicitur, praepositionem ἐπί recte nostratium particula „auf“ vertimus: voce „an“ interpretamur ἐπί Vesp. 808 κρεμήσεται ἐπὶ τοῦ πατταλου. Quibusdam in constructionibus usurpatur ἐπὶ Θρᾴκης h. e. „ad Thraciam versus“, „ad Thraciae fines“, saepe „in Thracia, ἐν Θρᾴκῃ“: Ach. 602. Vesp. 288. Pac. 283. Ar. 1369 (his tribus locis vides τἀπὶ Θ.). Lys. 103. Sic apud Thuc. 5, 34 et saepius; Xen. Anab. 7, 6 μένειν ἐπὶ Θρᾴκης. Simili ratione dicitur a Thuc. 1, 13 τὴν πόλιν οἰκοῦντες ἐπὶ τοῦ Ἰσθμοῦ. Plut. Rom. 16 ἐπὶ τοῦ στρατοπέδου εἶναι. Polyb. 14, 7, 1

ἐπὶ τῆς οἰκίας = „zu Hause“; 21, 8, 13 μένειν ἐπὶ τούτων τῶν τόπων; saepius αἱ ἐπὶ τῆς Ἀσίας πόλεις = αἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ π. — Item translato sensu invenitur ἐπὶ στρατιᾶς = „in militia“ Vesp. 354, 557. Lys. 100. ἐπὶ σκιᾶς = „in umbra“ Eccl. 496. ἐπὶ στοίχου ib. 756 = „in ordine“. Quibus exemplis locutio addenda est, cui inest notio causalis: Ran. 1305 τί δεῖ λύρας ἐπὶ τούτων (h. e. ἐπὶ τῶν Εὐριπίδου ᾀσμάτων) = „quid lyra opus est his carminibus“, („cum haec carmina talia sint“). Iam vero legimus Eccl. 943 οὐ γὰρ τἀπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστίν. Hesych.: „ἐπὶ μωρίας ἡ Χ. διεβεβόητο, ἀρχαία οὖσα· ἔστι δὲ καὶ παροιμία, οἷα τὰ ἐπὶ Χαριξένης“. Hoc loco liberius praepositione relatio ad aliquid significatur, sed ita, ut nomen et particula arte inter se connexa sint; sensus enim est: „non cum Charixena tibi res erit“.*) Sed praepositionem hic etiam accipere possis pro voce Latina „sub“, ita ut temporalem habeat sensum = „non sub Charixena haec fiunt“. De quo usu paullo post infra.

Progredior ad verba movendi, quibuscum ἐπί constructum reperitur. Haec exstant: πλεῖν ἐπὶ ῥιπός = „auf einer Binsenmatte schiffen“ Pac. 699. διώκειν ἐφ' ἅρματος Eq. 968. παλαίειν ἐπὶ γῆς Pac. 896. αἴρεσθαι ἐπὶ τοῦ κανθάρου ib. 81. διαβαίνειν ἐπὶ τῶν κελήτων Lys. 60. πέτεσθαι ἐπὶ στρούθου ib. 723. ἕλκεσθαι ἐπὶ τοῦ τροχοῦ Pac. 452. στρεβλοῦσθαι ἐπὶ τροχοῦ Lys. 846. Pl. 875. Metaphorice dictum est Eq. 1244 λεπτή τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα; cf. Frg. 198.

Notissimus est usus temporalis, ut ita dicam, huius modi: ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος Ach. 67. ἐπ' ἐμῆς γε νεότητος ib. 214; cf. Vesp. 1199. ἐφ' ἥβης Eq. 524. ἐπὶ γήρως

*) Similia collegerunt Buttmannus, Gr. Gr. 483; Buttm., Griech. Praep. in progr. Prenzl. 1853, p. 14. Papius. Griech.-Deutsch. Lex. I, 816. —

ib. et Vesp. 1167; idem apud Isocr. 5, 12. Polyb. 18, 38, 8. Arist. Eth. Nic. 1, 9, 11. Deinde *εὐδαίμονες δ' ἦσαν ἄρ' οἱ ζῶντες τότ' ἐπὶ τῶν προτέρων* Nub. 1027. *ἐπ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος* ib. 654.*) *ἐπὶ σοῦ ἐπάσχομεν γλυκέα* Pac. 593. *ἐπὶ τῆς προτέρας ἀρχῆς* Eccl. 985. Talia reperies apud alios, sicut *ἐπ' ἐμεῦ* Herod. 1, 5. 2, 46. *ἐφ' ἡμῶν* Thuc. 8, 97. *ἐπὶ τῆς ἐμῆς ζόης* Herod. 1, 38. *ἐπὶ τοῦ σοῦ βίου* Plat. Phaedr. 242, *A*. *ἐπ' εἰρήνης* Hom. *B*, 797. — In Av. 543 *οἳ τάσδε τὰς τιμὰς . . . ἐπ' ἐμοῦ κατέλυσαν* Bothius pro *ἐπ' ἐμοῦ*, quod vulgo legitur, habet *ἐπ' ἐμοί* h. e. „adversus me“, „meo incommodo“, probante Seagero, qui dicit in Classical Journal 4, 710 sq.: „The preposition *ἐπί* sometimes marks an evil tendency or intention, in which case it governs a dative of the subject to which the evil tends or is directed (h. e., ut antea exponit, „to my hurst or disadvantage“)“ et monet Demosth. 23, 137. Xen. Anab. 7, 23. Sic Kockius, qui comparat Av. 526 *ἐφ' ὑμῖν ὀρνιθευτής* et Herod. 1, 61. 4, 80. Sine ullo dubio praepositio *ἐπί* c. dat. coniuncta hanc significationem habet (cf. infra et Kr. 68, 41, A. 7): sed quaerendum est, num illud vulgare necesse sit mutari. Rectum videtur mihi *ἐπ' ἐμοῦ* = „mea aetate“, „me vivente“, ut Brunckius commentatur, laudans Scholiastae verba: „*ἐς ὅσον αὐτοὺς ἐγὼ χρόνον διεδεχόμην*“. Haec probans credo Chorum iam dicere voluisse, statum hunc avium miserabilem nunquam sibi ita ante oculos esse versatum, ut istoc tempore, quo Peithetaerus his de rebus dixerit: quare tunc demum miserias suas perspicit et illud patrum delictum tamquam sua aetate factum videt. Hoc modo iis apte respondemus, qui *ἐπ' ἐμοῦ* ineptam lectionem esse con-

---

*) Kock. legit *ἔτ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος*, sed praefero *ἐπ' ἐμοῦ* = „mea aetate“, quibuscum vocibus illud *παιδὸς ὄντος* ut appositio coniunctum est. —

tenderint ea causa, quod Chorus id dicat, quod patrum, non sua memoria factum sit.

Adverbialiter usurpatum est hoc unum *ἐφ' ἡσυχίας* Vesp. 1517, qui usus apud alios scriptores non tam raro invenitur, ut *ἐπὶ πολλῆς ἡσυχίας* Demosth. 13, 8. *ἐπὶ σχολῆς* Aeschin. Ctes. § 191. *ἐπ' ἀδείας* Plut. Sol. 22.

Quoniam de praepositione *ἐπί* cum genetivo copulata dixi, disseram de dativo casu, quocum saepius praepositio coniungitur. Ac primum de locali potestate pauca exponantur, quae haud dubie principalis est. ***Ἐπί*** particula dativo addita proinde ac genetivo apposita significat rem impositam apud verba quiescendi. Eadem fere ratione hoc fieri hac comparatione docetur:

Eq. 754 *ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ καθῆται τῆς πέτρας.*
Pl. 382 *ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον.*
Eq. 771 *ἐπὶ ταυτησὶ* (sc. *τῆς τραπέζης*) *κατακνησθείην.*
Ran. 928 *ἐπ' ἀσπίδων ἐπόντας γρυπαέτους.*
Av. 40 *ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσι.*
Th. 693 *ἐπὶ τῶν μηρίων πληγὲν μαχαίρᾳ τῇδε.*
Eccl. 222 *ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρουσιν.*
Nub. 218 *ἐπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ.*

Eq. 783 *ἐπὶ ταῖσι πέτραις . . . καθήμενον.*
Lys. 1140 *καθέζετο ἐπὶ τοῖσι βωμοῖς.*
Ach. 1158 *ἐπὶ τραπέζῃ κειμένῃ.*
Eccl. 903 *ἐπὶ τοῖς μήλοις ἐπανθεῖ.*
Av. 238 *ἐπὶ κισσοῦ κλάδεσι νόμον ἔχει.*
ib. 1232 *μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις.*
Ran. 9. *τοσοῦτον ἄχθος ἐπ' ἐμαυτῷ φέρων.*
Ach. 510 *ἐπὶ Ταινάρῳ θεός.*

Sed haec minime decedunt ab iis, quae legimus apud alios scriptores, imprimis poetas. Conferas haec:

Hom. ***A***, 536 *καθέζετ' ἐπὶ θρόνου*; ***N***, 13 *ἧστο ἐπ'*

ἀκροτάτης κορυφῆς — *Z*, 354 *ἕζεο τῷδ' ἐπὶ δίφρῳ*; *B*, 793 *ἷζε τύμβῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ*; *Γ*, 153 *ἧντ' ἐπὶ πύργῳ*. *Θ*, 528 *φορέουσι μελαινάων ἐπὶ νηῶν* (cf. Aesch. Pers. 18; Thuc. 8, 74) — *οὐπὶ νηῒ πόνος* Soph. Phil. 891. *κεῖται ἐπὶ χθονός* Y, 345 — *ἐπὶ χθονί Α*, 88; *ἄριστον ἄνδρα τῶν ἐπὶ χθονί* Soph. Tr. 808; *ἔκειντο ἐπ' αὐτῷ* Xen. An. 1, 8, 27. *ἐπ' ὀρέων* Soph. OR 1106 (*ναίειν*) — *ἔτι ἥλιός ἐστι ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν* Pl. Phaedr. 116 E. *ἐπὶ τῆς κεφαλῆς* Herod. 2, 35 — *ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχειν ἄγγος* Herod. 5, 12; cf. Xen. An. 2, 5, 23. 5, 4, 13. 7, 4, 4. *ἐπ' ὤμον φέρειν* Hom. *κ*, 170 — *ἐπ' ὤμοις φέρειν* Eur. Phoen. 1139. *καίειν ἐπὶ βωμῶν* Hes. Theog. 557 — *καίειν ἐπὶ βωμῷ* Hom. *Θ*, 240; *θύειν ἐ. β.* Thuc. 8, 40. *ἐφ' ἵππων* Hom. *Ω*, 356; Aesch. Pers. 18 — *ἐφ' ἵππῳ* Xen. Cyr. 5, 2, 1.

Iam vero apud Aristophanem legunter *δωροδόκοισιν ἐπ' ἄνθεσιν ἵζων* Eq. 403, id quod figurate dictum est, primaria vi haudquaquam deminuta. *καθῆσθαι ἐπ' Ὀλύμπου κορυφαῖς* Nub. 270; cf. Pac. 1235 *ἐπὶ δεκάμνῳ χεσεῖ καθήμενος* „in vase, quod decem minis constat“. Idem verbum etiam vides Th. 886; *καθίζεσθαι* deinde ib. 1182. Praeterea *κατακλίνεσθαι ἐπὶ κοίταις* Vesp. 1040*). *κεῖσθαι ἐπὶ κροκωτῷ* Ran. 46. Denique occurrunt *ἐπὶ ταῖς πλευραῖς τέγος* Vesp. 1293. *τὸ θηρίον τοὐπὶ τὠφθαλμῷ* Lys. 1026.

Movendi verbum hoc intellectu apud Aristophanem non reperitur nisi uno loco Vesp. 678 *πολλὰ μὲν ἐν γῇ, πολλὰ δ' ἐφ' ὑγρᾷ* (i. e. *θαλάττῃ*) *πιτυλεύσας*: quod metaphorice dictum sic transferamus „multa terra marique agitans“.

Sed saepissime non impositae, sed adhaerentes vel finitimae res particula *ἐπί* significantur, quam rationem nostris praepositionibus „an, bei“ interpretamur. Primum

---

*) Verbum *κατακλίνεσθαι* hoc loco minus accumbendi, quam accubandi notionem habet. —

enim homines dicuntur versari *ἐπὶ ταῖς πύλαις**) Eq. 1246, 1247, 1398 et *ἐπὶ ταῖς θύραις* Nub. 469. Vesp. 362. Ran. 163. Eccl. 865 (ubi verbum *ἑστώς* legimus), 997, 1114 (*παρέστατε*).

Tum cum dativo *ἐπί* copulatum in certis quibusdam constructionibus usurpatur, quas sum enumeraturus: *ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών* Ach. 504. *ἐπὶ ταρίχει τοὺς λόφους κραδαινέτω* Ach. 967. *ἐπὶ τῇ κιγκλίδι ἀνεφάνη* Vesp. 124. *ἐπὶ τοῖσι δρυφάκτοις τηροῦσι* ib. 552. *δικάζειν ἐπὶ ταῖς οἰκίαισι* ib. 801. *κατακλίνεσθαι ἐπὶ τοῖς ἀπράγμοσι* ib. 1040. *θάσσειν ἐπὶ αὐλείοισι θύραις* ib. 1482. *πᾶς γάρ τις ἐρεῖ . . . κἀπὶ τραπέζῃ καὶ ξυμποσίοις* Pac. 770. *λέγειν ἐπὶ τῷ τύμβῳ* Ran. 1139. *κηρύσσειν ἐπ' ὄχθῳ τῷδε* ib. 1172. *ἐπ' Ἀρταμιτίῳ* Lys. 1251 pro *Ἀρτεμισίῳ*, de pugna navali ad promontorium commissa dictum. *ἀποθανεῖν ἐπὶ Σκαμανδρίαις ῥοαῖσι* Th. 864, ubi pari modo situs designatur; cf. Hom. *ν*, 408 *ἐπὶ κρήνῃ*. *H*, 133 *ἐπὶ ποταμῷ* (Herod. 4, 86. Thuc. 3, 99). *ἐπὶ ταῖς ἀναπαύλαις* Ran. 195, quo loco verbum *ἀναμένειν* animo cogitandum est. *θάπτειν ἐπ' αὐτῷ τῷ στόματι* est dictio translata quae legitur Eccl. 1107, cum *ἐπὶ στόματι τοῦ ποταμοῦ* Thuc. 4, 102 proprio sensu exstet. In locutione *ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι λόγος ἦν* Pl. 338 praepositionis notio deflexit in vernaculam „in“.

Veniamus ad translatum usum, cuius pauca exempla iam supra allata sunt. Simplicissimae huius usus rationes videntur praeter illas enumeratas Av. 638 *ἐπὶ σοὶ τάδε πάντ' ἀνάκειται* „in tua potestate“ vel „penes te haec omnia sunt.“ Sic iam apud Pind. Pyth. 8, 76 (sed nondum apud Hom., cf. Rostius in Passowi lex. s. v. *ἐπί* p. 1038. II, 2, a): *τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται*. Vesp. 650 *χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς* „quam apud

---

*) *Ἐπὶ θύρῃσι, πύλῃσι* Hom. *B*, 788. *Γ*, 149. Herod. 3, 16. Soph. Ant. 141. Xen. An. 1, 4, 5. —

trygoedos, in trygoedis reperitur". Pac. 1085 *οὐδ' ἐπὶ τῷ πραχθέντι ποιήσεις ὕστερον οὐδέν* „non postea factum (proprie „de facto") mutabis aliquid." Th. 328 *χρυσέα τε φόρμιγξ ἀχήσειεν ἐπ' εὐχαῖς ἡμετέραις* „sonet ad nostras preces." Ran. 679 *ἐφ' οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις δεινὸν ἐπιβρέμεται**) *Θρηκία χελιδών* „cuius in labris Thracia hirundo fremit". Ib. 1046 *ἀλλ' ἐπὶ σοί τοι καὶ τοῖς σοῖσιν πολλὴ πολλοῦ 'πικαθῆτο*, qui locus iam difficilior videtur; nam verbo tenus sic intellegitur: „in te et tuis magnopere insedit (Aphrodite)". Recte me interpretari puto hoc modo: „tibi tuisque maxime se praebuit propitiam (Aphrodite)"; ironice quidem haec dicuntur ab Aeschylo ad Euripidem converso. A quo loco non multum differunt quae occurrunt Pl. 185:

κρατοῦσι γοῦν κἀν τοῖς πολέμοις ἑκάστοτε
ἐφ' οἷς ἂν οὗτος ἐπικαθέζηται μόνον

„vincunt in bellis semper ii, super quibus hicce solus sederit" h. e. „a quibus steterit." Nam sic Latine ‚sedere' et ‚sessitare' usurpatur, ut hoc loco verbum [*ἐπι*] *καθέζεσθαι* et accipitur a libra, quae inaequabili ex pondere vergit in alteram partem. De quo Schol.: „*ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ζυγῶν· καθέζεσθαι γὰρ τὸ βαροῦν λέγεται*". Kuesterus annotavit Tibull. 4, 1, 41 sq. (carm. ad Mess.):

Iusta pari premitur veluti quam pondere libra,
Prona nec hac plus parte s e d e t nec surgit ab illa.

Pauca denique dicenda videntur de alio usu metaphorico iis locis, quibus *ἐπί* notione addendi et cumulandi praeditum apparet. Ac primum animadvertas pares res *ἐπί* praepositione inter se coniungi. Huc pertinent Eq. 411 *νὴ τοὺς κονδύλους, οὓς πολλὰ δὴ 'πὶ πολλοῖς ἠνεσχόμην*, ut Hom. *γ*, 113 *ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖς πάθομεν κακά*. Vesp.

*) Videtur adamare poeta, cum *ἐπί* composita verba eidem praepositioni coniungere, cf. Vesp. 754. Ran. 928, 1046. Eccl. 903. Pl. 185, 996. —

1046 *πολλ' ἐπὶ πολλοῖς ὄμνυσιν*. Lys. 1295 *πρόφαινε δὴ σὺ μοῦσαν ἐπὶ νέᾳ νέαν*.

Multa eius modi apud alios maxime poetas legimus: Hom. *η*, 120 *ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ* etc. Hes. op. 642 *ἐπὶ κέρδεϊ κέρδος*. Pind. Ol. 7, 82 *Νεμέᾳ τ' ἄλλαν ἐπ' ἄλλα* (sc. *νίκην*) ib. 8, 84 *ἐσλὰ δ' ἐπ' ἐσλοῖς ἔργ' ἐθέλοι δόμεν*. Soph. Ant. 395 *πήματα ἐπὶ πήμασι*. OC 544 *ἐπὶ νόσῳ νόσος*. Plat. legg. *I*, 638, E *μυρία ἐπὶ μυρίοις ἔθνη*. — Vulgari locutione *ἐπὶ τούτοις* Aristophanes utitur Pac. 1025, quocum conferas Pl. 1001 *πρὸς ἐπὶ τούτοις*; Eccl. 99 et Pl. 57 *τἀπὶ τούτοις*; Th. 1045 *ἐπὶ δέ τοῖσδε* adverbiali sensu. Dispar est quod additur Ach. 835 *παίειν ἐφ' ἁλὶ τὴν μάδδαν* „ad salem panem", ubi Schol.: „*ἐσθίειν μετὰ τῶν ἁλῶν τὸν ἄρτον*", ut nos „zum Salz." Pac. 123 *ὄψον ἐπ' αὐτῇ*. Cf. Vesp. 863. Ran. 1246. Hoc modo dicunt Xen. Mem. 3, 14, 2 *ἐπὶ τῷ σίτῳ ὄψον ἐσθίειν*. id. Cyr. 6, 2, 27 *ἐπὶ τῷ σίτῳ πίνειν ὕδωρ*. Plat. Phaedr. 247, E *νέκταρ ποτίζειν ἐπ' ἀμβροσίᾳ*.

Crucem paraverunt interpretibus Pl. 627, 628:

ὦ πλεῖστα Θηβείοις μεμυστιλημένοι
γέροντες ἄνδρες ἐπ' ὀλιγίστοις ἀλφίτοις.

Μυστίλη est frustum panis excavatum modo cochlearis, tum cochlear, quare *μυστιλᾶσθαι* = „haurire iusculum frusto panis cavato", ut Schol.: „*τοῖς κοίλοις ἄρτοις ζωμοὺς καὶ ἀθάρας ἀρύεσθαι*". Ita comice dicit Arist. in Eq. 827: *ἀμφοῖν χεροῖν μυστιλᾶται τῶν δημοσίων* „mit beiden Händen löffelt er aus der Staatskasse". Sed iure Fischerus istam verbi interpretationem repudiat negans, notionem iusculi hoc verbo contineri, et dubitans, num pauperibus ius appositum sit. Quare cum *μιστύλλειν* sive *μυστίλλειν* apud Hom. (*A*, 465 et al.) sit „in partes discindere", videntur *μεμυστιλημένοι* ii esse, quibus apponuntur carnes minutissimae dissectae; *ἐπ' ὀλιγίστοις* autem idem est, atque

„cum paucissimis“ vel proprie „ad paucissima“, ut supra Ach. 835. Berglerus comparat Eur. Iph. Aul. 541 *ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις δακρύοις πράσσω κακῶς* „ut cum paucissimis lacrimis sim miser“. Uberius rem exponit Fisch. his verbis: „cum pauperes Theseis exhilarati epulis legantur, credibile est, iis appositas fuisse reliquias victimarum, ut in aliis epulis sacrificalibus; denique cum comedatur panis cum carne, apparet, hanc verbi interpretationem adiuvari etiam verbis *ἐπ' ὀλιγίστοις ἀλφίτοις*, h. e. cum panibus minutissimis“.

Nec minus interpretibus difficultatem maximam praebuit Eq. 546 *αἴρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις*. Kockius in annot. ad h. l. obscurum eum esse dicit. Ex scholiis pauca sumi possunt, quae haec planiora faciant. De voce *ῥόθιον* quae explicat Schol., haec sunt: *„ῥόθιον τὸ κῦμα ἀπὸ τοῦ ταχέως ῥεῖν. ἀπὸ τῶν ἐρεσσόντων μετήνεγκεν, ὅταν συνεχῶς ὑπὸ πολλῶν ἐρετῶν ἐπὶ πλέον προσέρχεται ἡ ναῦς εἰς τὸ πρόσθεν. ἀξιοῖ οὖν τὸν νῦν ἔπαινον μέχρι πολλοῦ παραπέμψαι.* Quibuscum conferas quae dicit Eustathius ad Od. *ε „ἐλέγετο ῥοθιάζειν καὶ ὅτε οἱ ναῦται ἐπὶ κώπαις δέκα τυχὸν ἢ καὶ πλείοσι παίοντες, εἶτα ἅμα πανσάμενοι, ὡς ἐκ συνθήματος ἅπαξ ἀνεφώνουν. καὶ ἔστι τοιοῦτον παρ' Ἀριστοφάνει τὸ· Αἴρεσθ' . . . · τουτέστιν, εὐφημήσατε τὸν δεῖνα ῥοθιάζοντες ναυτικῶς“*. Cetera, quae a veteribus ad h. l. sunt allata, minime rem clariorem reddunt; difficilia verba *ἐφ' ἕνδεκα κώπαις* a nullo satis exponuntur. Aliorum virorum, qui in hac re versati sunt, Casaubonus annotat: „*παραπέμπειν* est deducere, comitari aliquem abeuntem; videtur species proverbii, quod dicitur a poeta: *παραπέμπειν ἐφ' ἕνδεκα κώπαις* prosequi aliquem remis undecim, quod significat quam honestissime comitari aliquem abeuntem. Cum respublica honorem alicui habere volebat, eo navigante iubebantur praefecti rei nauticae magno apparatu eum comi-

tari et aliquantum prosequi. Eo allusit Arist.; per undecim remos intellege undecim naves, ut saepe a parte totum intellegimus, vel fortasse intellegitur magna navis, quae remis undecim, utrimque scil., h. e. duobus et viginti agitetur.“ Beckius autem hanc loci sententiam esse ait: „faustissima omnium spectatorum acclamatione prosequimini strepitum laetum Lenaeorum“. Bothius undecim naves dici arbitratur, sed *ἀλληγορικῶς*, ut decem tribus Atticae et senatus quingentorum intellegantur, h. e. universus populus Athenienses. Quibis ego non assentior, nam longinquius promitur quod dictum est. Cum Arist. in versibus quattuor praecedentibus a navigando locutiones iam transtulerit, etiam haec locutio hinc petita est nec mirabile, quod in eadem metaphora maneat poeta et de plausu theatri loquatur velut de aquarum strepitu. Sane quidem cur voce *ἕνδεκα* utatur quidque haec sibi velit, non satis manifestum est. Interpretationum autem optima illa Kuesteriana videtur esse — „enixo poetam favore plausuque secundo prosequimini“ —, quam etiam Droysenus I, 124 probat, versum illum in Germanicum sermonem sic vertens: „Lasst rauschen die Woge des Beifalls ihm und begleitet mit Rudergeklatsch ihn“.

Agamus nunc de *ἐπί* praepositionis cum dat. coniunctae usu, quo homo vel locus indicatur, ad quem qua actio (uti mihi liceat hac voce) dirigitur. Plerumque praepositioni notio hostilis impetus inest, sicut Eq. 236 *συνομνύναι ἐπὶ τῷ δήμῳ*, cf. Herod. 7, 235. Lys. 50 *ἐπ' ἀλλήλοις αἴρεσθαι δόρυ*. Ach. 660 *πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω*, veluti *μηχανᾶσθαί τι ἐπί τινι* Herod. 1, 154. 6, 88. Pac. 620 *ἐπειδὴ 'γνωσαν ὑμᾶς . . ἠγριωμένους ἐπ' ἀλλήλοισι καὶ σεσηρότας, πάντ' ἐμηχανῶντ' ἐφ' ὑμῖν*. ib. 901 *ἅρματα δ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἀνατετραμμένα*. ib. 1273 *ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰόντες*, ut Hom. *Γ*, 15. *Λ*, 70 (*ἐπ' ἀλλ. θορόντες*). Av. 334 *γένος ἀνόσιον, ὅπερ . . ἐπ' ἐμοὶ πολέμιον ἐτράφη*. ib. 526 *πᾶρ τις ἐφ' ὑμῖν*

ὀρνιθευτὴς ἵστησι βρόχους. Ran. 1294 *τὸ συγκλινὲς ἐπ' Αἴαντι,* cuius loci ex Thraessis*) Aeschyli sumpti vocabulum *συγκλινές* Dindorfius habet suspectum; Fritzschius eo intellegit Aiaci circumfusam Salaminiorum phalangem (cf. Hom. *N*, 125 sqq.) et Hermannus: *τὸ συγκλινές τ' ἐπ' Αἴαντι* [*ξίφος*]. Brunck. vertit „quod ad Aiacem inclinat"; Conz. „Aias' Tischgenossenschaft"; Welck. „die Umlagerungen des A."; Voss. „was auflauert dem Held A."; Droys. „was sich auf A. hinstürzet". Diversae, ut vides, et oppositae sunt inter se istae interpretationes ac merito num voce *συγκλινές* haec exprimi possint dubites. Per se versus parum perspicui sunt et esse debent, quoniam Euripides Aeschylum irridens parodiam praebet ex connexu discerptam. Vix arbitrer, Aiacis socios esse intellegendos, quorum corpora avibus obiecta sint; potius praepositionem *ἐπί* Latino „contra" respondere contendam. — Loci qui sequuntur hostili sensu carent: Vesp. 754 *ἐπισταίην ἐπὶ τοῖς κημοῖς* „accedam ad urnas". Av. 438 *ἐφ' οἷσπερ τοῖς λόγοις συνέλεξ' ἐγώ*. ib. 460 *ἐφ' ὅτῳπερ πράγματι ἥκεις.* Ran. 1496 *ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι .. διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι* „in studium iners .. incumbere", ubi Attici scriptores plerumque construunt *διατριβὴν ποιεῖσθαι περί τι* (cf. Lys. 16, 11. Plat. Conv. 177, E). Etiam planius aliis locis per translationem praepositione consilium et effectus significatur; spectanda sunt haec: Eq. 468, 469 *καὶ ταῦτ' ἐφ' οἷσίν ἐστι συμφυσώμενα ἐγᾦδ'· ἐπὶ γὰρ τοῖς δεδεμένοις χαλκεύεται,* quo loco *ἐφ' οἷσιν* eodem sensu dictum est atque in lingua Latina „quem ad finem, quam ob rem", et *ἐπὶ τ. δ.* respondent locutioni „propter captivos" h. e. „eo consilio, ut ex captivis lucrum faceret (Cleon)". Sic Soph. Phil. 50 *ἐφ' οἷς ἐλήλυθας.* Ai. 797

---

*) cf. Schol.: „*Ἀπολλώνιος δέ φησιν ἐκ Θρῃσσῶν αὐτὸ εἶναι*". —

ἐπὶ τῷ λέγει τάδε; Demosth. 24, 5 *νόμους ἐπὶ τοῖς ἀδικοῦσιν ἀνεγράψατε.* Eiusdem rationis exempla sunt quae exstant Vesp. 487 *ἐπὶ τυραννίδ' ὧδ' ἐστάλης* „missus es ad tyrannidem" h. e. „ad t. instituendam"; cf. ib. 495, 498. Lys. 630. Audacius dictum est quod invenis Lys. 578 *τοὺς πιλοῦντας ἑαυτοὺς ἐπὶ ταῖς ἀρχαῖσι* „was .. wie ein Filz sich zusammen gekluppt hat zu den Aemtern des Staats" (Droys. II, 151). Deinde huc refero Eq. 1226 *ἐπ' ἀγαθῷ* (*κλέπτειν*), cf. Ran. 1487, 1488. Pl. 888. *ἐπ' ἀγαθῇ τύχῃ* Vesp. 869; *ἐπ' ἀγαθαῖς συμφοραῖς* Lys. 1276. *ἐπ' εὐτυχίαισιν* Eccl. 574. *ἐπὶ βλάβῃ* Th. 337, 360, 366. *ἐπ' ὀλέθρῳ* ib. 84. *ἐπὶ κλοπῇ* ib. 894. *ἐπὶ γέλωτι κἀπ' εὐτελείᾳ* Ran. 404. *ἐπὶ πείρᾳ* Av. 583. *ἐπὶ τραγῳδίᾳ* (*ἀναπτεροῦσθαι*) ib. 1444. Iisdem ac similibus utuntur alii, vid. Plat. Rep. I, 384 B *ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν φίλων καὶ ἐπὶ βλάβῃ τῶν ἐχθρῶν;* Apol. 20, E *ἐπὶ διαβολῇ τῇ ἐμῇ.* Thuc. 2, 13 *ἐπὶ σωτηρίᾳ*. Xen. Cyr. 7, 4, 3 *ἐπ' ἀγαθῷ Κύρου.*

Ex hoc usu opinor ortam esse pretii notionem, quae duobus locis apud Aristophanem occurrit: Ach. 13 *ἐπὶ μόσχῳ εἰσῆλθε* „um den Preis eines Kalbes", nam sic, non *ἐπὶ Μόσχῳ*, quod Bergk. habet, lego et Bentl. sequor, qui in Opusc. phil. 321 dicit: „taurus praemium dithyrambi, ut hircus tragoediae .. et quemadmodum poetae dithyrambici tauro, sic qui cithara canebant, *κιθαρῳδοί*, vitulo certabant". De Moscho citharoedo nemo mentionem fecisse videtur nisi Schol., qui ad h. l. annot.: „*ἐπὶ Μόσχῳ ἀντὶ τοῦ μετὰ Μόσχον. ἦν δὲ οὗτος φαῦλος κιθαρῳδός, πολλά ἀπνευστὶ ᾄδων*". Alter locus exstat Av. 154 *ἀλλ' ἔγωγ' Ὀπούντιος οὐκ ἂν γενοίμην ἐπὶ ταλάντῳ χρυσίου* „auri talento". Non tam rarus hic usus apud alios scriptores; iam Hom. dicit *ἐπὶ μισθῷ Φ*, 445, *ἐπὶ δώρῳ I*, 602, *K*, 304, *ἐπ' ἀέθλῳ λ*, 548. Soph. Ant. 322 *ἐπ' ἀργύρῳ τὴν ψυχὴν προδούς*. Herod. 3, 38 *ἐπὶ κόσῳ χρήματι;* ib. *ἐπ' οὐδενί.* Pind. Isthm. 1, 26, 47.

Proximum est, ut ad eos locos animum intendamus, quibus *ἐπί* coniungitur cum verbis affectuum et cognatis vocibus ad causam indicandam. Huius generis sunt quae leguntur Ach. 5 *ἐγῷδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ εὐφράνθην.* Vesp. 1532 *ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυτοῦ παισί.* Ach. 330 *ἐπὶ τῷ θρασύνεται;* Vesp. 1317 *ἐπὶ τῷ κομᾶς;* Av. 803 *E. ἐπὶ τῷ γελᾷς; Π. ἐπὶ τοῖσι σοῖς ὠκυπτέροις;* cf. Ran. 2. Pl. 799. Eq. 1318 *ἐπὶ καιναῖσιν δ' εὐτυχίαισιν παιωνίζειν.**) Sed haec vulgo reperiuntur; propriae sunt sermonis Aristophanei constructiones quae exstant Eq. 1320 *τίν' ἔχων φήμην ἀγαθὴν ἥκεις, ἐφ' ὅτῳ κνισῶμεν ἀγυιάς;* ubi vertimus: „die Strassen mit Opferduft anfüllen wegen etwas" vel „aus Freude über etwas"; namque Schol. explicat: „*ἔθος ἦν τοῖς ἐν ἀγυιαῖς ἱσταμένοις θεοῖς ἐπὶ ταῖς ἐρχομέναις ἀγγελίαις θύειν, ὡς ἄν, εἰ ἀγαθαὶ εἶεν, ἐπινεύσαιεν ταύταις, εἰ δὲ τοὐναντίον, ἀποτρέψαιεν.*" Sic Av. 1233 *κνισᾶν ἀγυιάς* „compita nidore implere."

Similiter Eq. 655 *ἤδη μοι δοκεῖ ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν εἰσηγγελμέναις εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς.***) ib. 406 *πῖνε πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς,* quo loco Latine dicas „bibe, bibe de secundis rebus, propter secundas res"; cf. Schol.: „*ἐκ τῶν Σιμωνίδου δὲ τοῦτο τεθρίππων. τὸ δὲ συμφοραῖς, ἐπ' ἐσθλοῖς.*" Both. scribi malit *πῖνε πῖνε συμφοραῖς* metri causa, praepositionem additam esse putans ab interpretibus. Sed quamquam v. 332, cui hic versus respondet, formam habet — ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏒ (metr. troch.), hoc autem loco dactylum altero pede habemus, ut stropha appareat versus Glyconeus (— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —), tamen praepositio non tollenda est, quia initium carminis Simonidei hic legimus

---

*) Rarum vocabulum *σεμνοπροσωπεῖν* exstat Nub. 363 *ἐφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.* —

**) cf. Eur. Alc. 1155 *ἐννέπω χοροὺς ἐπ' ἐσθλαῖς συμφοραῖσιν ἱστάναι.* —

eamque ob causam dactylus in metro troch. intellegitur et *ἐπί* suo loco exstat.*)

Addam Nub. 1205 *ἐπ' εὐτυχίαισιν ᾀστέον μοὐγκώμιον* neque mihi praetereundem puto trans. verb. *ἐκμαίνειν,* quod invenitur Eccl. 965 *Κύπρι, τί μ' ἐκμαίνεις ἐπὶ ταύτῃ;* „quid me insanum reddis de hac" vel „propter hanc?" Huc refero etiam *ὡς ἐπὶ νίκῃ* locutionem, quae exstat Lys. 1293 et Eccl. 1181. Verbum, quod animi commotionem significet, non adest, neque locutio ex vocabulis *αἴρεσθ' ἄνω,* quae utroque loco praecedunt, pendere potest, quamvis magnae laetitiae intellectum contineant: vetat hoc fieri in Eccl. loci structura, ubi verba sic collocata interpunguntur:

ἀλλὰ λαιμάττουσί που,
αἴρεσθ' ἄνω, ἰαί, ἰαί.
δειπνήσομεν, εὐαῖ εὐαῖ,
εὐαῖ, ὡς ἐπὶ νίκῃ·
εὐαῖ εὐαῖ εὐαῖ εὐαῖ.

Sed interiectiones repetitae (in Lys. legimus *ἰαί, ἰαί*) tanta vi ac potestate sunt, ut verborum locum teneant nec mihi quidem dubium sit, quin ex his particula sit suspensa.

Quibuscum exemplis enumeratis duo loci, quamquam non ex eadem ratione nati sunt, videntur cohaerere, in quibus pariter notio causalis inest: Th. 313 *θεῶν γένος λιτόμεσθα ταῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς φανέντας ἐπιχαρῆναι* „ut his precibus commoti (proprie „propter has preces") libenter adsint": nam non ex verbo *ἐπιχαίρειν,* sed ex verbo *φαίνεσθαι,* quod hoc maximi momenti est, praepositionem existimo suspensam esse. Alterum exemplum vides ib. 1049 *πάθος ἀμέγαρτον ἐπὶ κακῶν παρουσίᾳ* „triste propter malorum praesentiam h. e. abundantiam".

Iam brevius de eo usu agi potest, ex quo condicio

---

*) cf. Krueg. 68, 41, A. 6. —

proposita designatur. Haec habes: Ach. 722 *ἐφ' ᾧτε*, idem Th. 1162. Pl. 1000, 1041; saepius *ἐπὶ τούτοις* Eq. 1384. Pac. 706. Ran. 589. Av. 445. Pl. 1168. *ἐπὶ τοῖσδε* Av. 1602. *ἐφ' οἷσιν* Lys. 251. Addendus est unus locus, qui explicatione eget: Eq. 707 *ἐπὶ τῷ φάγοις ἥδιστ' ἄν; ἐπὶ βαλλαντίῳ;* Sic codices. Kock. locum ducit depravatum propterea, quod *ἐσθίειν ἐπί τινι* dici non possit. Affert exemplum *διαβιῶναι ἐπὶ γογγυλίσι πάντα τὸν χρόνον* Ath. 10, 419 „von Rüben leben, bei Rüben sein Leben hinbringen“: sed *ἐσθίειν ἐπὶ γογγυλίσι* a Graecis dictum esse negat; quare scribit *ἐπὶ τῷ φαγὼν ἥδοιτ' ἄν*; = „worüber würde er sich wohl freuen, wenn er es zu essen bekäme?“ ita, ut *ἥδεσθαι ἐπί τινι* construatur. Bergk. iu praef. Vol. I, p. XVI pro *ἥδιστ' ἄν* conicit *γήτει' ἄν* (h. e. species allii), sed nimis recedit a vulgari lectione. Non malum, quod scripsit Kock., mihi autem videtur non opus esse librorum lectionem mutare. Schol.: *ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἐπ' ἰχθύσι φάγοις ἄν, οἷον μετὰ ἰχθύων. ἢ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἐπὶ τραπεζίῳ πικρῶς εἶπεν ἐπὶ βαλλαντίῳ. ἵνα διαβάλῃ ὡς κλέπτην καὶ τῶν δημοσίων ἅρπαγα.*“ Loci sententia recte a Schol. expressa est, etiam bene dixit, *ἐπί* esse *μετά* et *ἐπὶ βαλλ.* pro *ἐπὶ τραπέζῃ*. At non vidit, *ἐπί* utroque loco duplicem significationem habere, id quod etiam ab editoribus non satis respicitur. Haud dubie *ἐπί τινι φαγεῖν* valere possunt: „edere super aliquare (mensa)“,*) velut Bergl. vertit: „super quanam re ederes libentissime? an super crumena?“ Sed iam Casaub. addidit haec: „significat ea vox adiectionem alicuius obsonii ad panem“. Quod Brunck. confirmavit his verbis: „*ἐπί* hic significat „cum“ et iungitur ei rei, quae praeter obsonium aut obsonii loco ad vescendum datur“. Cf. supra Pac. 123 et al. Sed

*) Et super mensa edere is dicitur, qui sedens ad mensam edit. —

mihi quidem praepositionis potestas gravissime reddi et comica loci vis magnopere augeri videtur, si ambiguum sensum huic loco servamus et transferimus *ἐπὶ τῷ φάγοις*: „quo cibo apposito“ (ut Both. explicat) et „super quanam re ederes“, *ἐπὶ βαλλαντίῳ*: „apposita crumena?“ et „super crumena?“

Paucis denique absolvamus usum adverbialem, quo spectant *ἐπὶ πᾶσί τε πράγμασι* Eq. 402. *ἐπ' αὐτοφώρῳ* Pl. 455. *ἐπ' ἀληθείᾳ* ib. 891.

Restat, ut agam de *ἐπί* praepositione cum accusativo casu constructa. Longe maxime praepositio, de cuius usu disputo, primaria vi, quae est localis, praedita apud Aristophanem invenitur et ad locum vel hominem significandum adhibetur, ad quem movendi actio dirigitur. Primum quidem exempla commemorentur, ubi particula verbis eundi*) addita est, quorum saepe legitur *ἔρχεσθαι* Vesp. 321. Pac. 1192. Av. 129, 292, 717. Lys. 665. Ran. 675. Eccl. 948, 1128, 1135. Pl. 686. *ἐξέρχεσθαι* Lys. 737. Tum enumerare licebit *ἰέναι* Ach. 1143. Vesp. 1250 (*ἐπὶ δεῖπνον*, quae locutio duodecies apparet). Pac. 1040. Ran. 291,**) 646. Eccl. 616, 682. Frg. 356. *εἰσιέναι* Pac. 1208. *βαδίζειν* Ach. 1085. Ran. 656. Eccl. 625. Pl. 1007, 1040. *χωρεῖν* Ran. 180. Eccl. 852. *θεῖν* Vesp. 1360. *ἥκειν* Vesp. 411. Lys. 463. Ran. 137. Frg. 464. *ἀφικνεῖσθαι* Ran. 436. Eccl. 1080. Pl. 959, 962. *ἀναβαίνειν* Ran. 130. *ἐπαναβαίνειν* Eq. 169. Nub. 1487 . *πλεῖν* Eq. 1312 (*ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν* sc. *τό*, ubi Schol.: *εἰς τὸ τῶν Ἐρινύων ἱερόν*;

*) Huc refero non ea solum, quae proprie intellectum eundi habent, sed etiam verba veniendi, perveniendi, ascendendi, navigandi, currendi, volandi, similia. —

**) Hic *φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴτω* ambiguo sensu dicta sunt, nam, ut Kock. dicit in nota, *ἰέναι ἐπί* potest esse „contra hostem“ et „ad puellam ire“; cf. Pind. Nem. 10, 19 *Ζεὺς ἐπ' Ἀλκμήναν Δανάαν τε μολών*. —

cf. Th. 224 *εἰς τὸ τῶν σ. θ.*). *πέτεσθαι* Av. 1287, 1374. Eccl. 899. *ποτᾶσθαι* Av. 250, 1339. *καταπέτεσθαι* ib. 789. *προσπέτεσθαι* Ach. 866. *ἕπεσθαι* Av. 1757. *ἀκολουθεῖν* Eccl. 684. *οἴχεσθαι* ib. 550. *ἀνίστασθαι* Pl. 683. *καθίζειν* Nub. 254. Ran. 197, 199. *ἕζεσθαι* Ran. 682. *ἀφάλλεσθαι* Nub. 147. *πηδᾶν* ib. 704. *ἀναπηδᾶν* Av. 490. Ran. 566. *παραΐσσειν* Vesp. 987. *αἴρεσθαι* Nub. 279. *τρέπεσθαι* Vesp. 986. Lys. 676. Ran. 1025, 1119. Pl. 317. *ὁρμᾶν πόδα* Ran. 478. *ἐπικωμάζειν* Ach. 980. *ἐφερπύζειν* Pl. 675. *παρακύπτειν* Ach. 16. *ἀναστρέφειν* Th. 985. *ὑπανακινεῖν* Eccl. 1165. *μεταπίπτειν* Vesp. 1455.*) Legimus Av. 405 *ἔμολον ἐπὶ τίνα τ' ἐπίνοιαν* (cf. Frg. 560); hoc loco Bergk. *ἐπὶ* seclusit et interpolatum habuit comparans Eurip. Phoen. 415. Reisig. coniecit *ποίαν τίν' ἔχοντ' ἐπίνοιαν* et Brunck. *καὶ τίν' ἔχοντες ἐπίνοιαν* dicens, versus, ut vulgo legantur, sine ulla metri forma esse. Sed versus sunt anapaestici, ut ipse concedit, et postremus sic legendus est:

καὶ πόθεν | ἔμολον ἐ | πὶ τίνα τ' ἐ | πίνοιαν

i. e. dactylus, duo proceleusmatici, anapaestus, in quo secunda syllaba corripitur; cf. Ross.-Westph. Metr. 127. Aliud statuit Herm. in Elem. doctr. metr. 377, sed minus probabile. Locutionem *ἐπὶ τίνα ἐπίνοιαν* ita vertas: „ad quod consilium perficiendum" vel breviter „quo consilio (venerunt)". Subaudiendum est eundi verbum Ran. 187 *ἐπὶ Ταίναρον*. Suppleas ex superioribus Eccl. 856. Excidit verbum Ach. 986, ubi Bergk. cum Dindorfio legit

** *ταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἅμα καὶ μεγάλα δὴ φρονεῖ.*

Schol.: „*τὰ δ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον · ἐπείγει, σπεύδει. — ὁ δὲ λόγος, Δικαιόπολις σπουδάζει περὶ τὸ δεῖπνον*". Lectio varia est huius versus initio: *τάι τ'* habet cod. Rav., *τῷδ'* cod. A, quod Elmsl., Brunckium secutus, edidit et Bekk.

*) *ἕπεσθαι . . ἐπί τε πέδον Διὸς καὶ λέχος γαμήλιον* Av. 1757; sic apud Bergk., vulgo *ἐπί* legitur. Meinck., cui Kock. assensus est, praebet lectionem *ἐπὶ δάπεδον*. Schol.: „*πρὸς τὴν βασιλείαν*". —

Etiam manifestum, ante hoc exordium lacunam exstare, ubi desunt syllabae duae vel tres. Quibus de causis viri doctissimi summo studio operam dederunt, ut emendationem, quae omnibus placeret, investigarent. Sic Reiskius correxit: *Ὃς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἐλᾷ*, alii suppleverunt *πάντα* vel *πολλά* ante vocem *τῷδ'*,*) Bergk. coniecit in praef. Vol. I, p. XII (*εἶδες ὦ*) *τόνδ'*; *ἐπείγει περὶ τὸ δ.* vel etiam *Οἷ' ἐπείγει περὶ τ. δ.*, ut alterum *εἶδες ὦ* v. 971 deleatur. At his coniecturis nondum omnia sunt sanata. Praedicat (v. 973 sqq.) Chorus prudentiam atque sapientiam viri, cui pace facta omnia liceat coemere bona, quorum alia domi sint utilia, alia cenantem iuvent tepida. Quibus dictis a v. 977 usque ad v. 985 agitur de Marte, tum in v. 986 Chorus redit ad Dicaeopolin, addens, magnos eum spiritus sumere hasque pennas ante ostium proicere, ut victus argumento sint. Huc accedit, quod praeter ea, quae nunc transtulimus, verba ** *ταί τ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἅμα* in v. 986 exstant, quae non vertenda sunt nisi verbo eundi subaudito. Itaque pessimus horum versuum connexus est. Aptius est magisque concinnum, hos duos versus, qui in exstrema chori parte sunt, illic collocare, ubi melius ad sensum loci se accommodant, i. e. post v. 975. Ita utraque cantus pars, et quae Dicaeopolin laudibus effert, et quae Marti maledicit, circumscripta erit et contextus rerum verborumque non perturbatus. Hoc praestat, quam parenthesin ab *αὐτόματα* usque ad *ἀμπέλων* statuere, sicut Bergk. coniectura sua dicit; iam Brunck. hunc totum locum ita, ut proposuimus, constituendum putavit. Alia non probanda, ut ea, quae Invern. legit:

καί τ' (ἐπὶ τὸ δεῖπνον θάμα καὶ μεγάλα δὴ φρονεῖ)

et ea, quae Reisk. coniecit (cf. supra). Illud unum modo displicet in Brunckii emendatione, quod interpunctionem post *κατεσθίειν* sublatam post *δεῖπνον* posuit sic:

*) cf. Boisonnade in Wolfii Anal. 80 sq. —

v. 975 . . *τὰ δ' αὖ πρέπει χλιαρὰ κατεσθίειν*
v. 986 *τῷδ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον · ἅμα καὶ μεγάλα . . .*

Cum lacunam, quae ante *τῷδ'* in libris est, non expleverit, hac interpunctione vix ostendas, quid praepositio *ἐπί* valeat vel unde suspensa sit. Numnam putas, praepositionem ex verbo *κατεσθίειν* pendere aut *ἐπὶ τὸ δεῖπνον* simile esse Latino „post cenam?" Aliam lectionem propono, qua et v. 986, 987 isto loco inseruntur cum interpunctione, quam Brunck. vult, et properandi verbum ponitur, ut Bergk. habet; scribo sic:

v. 975 . . *τὰ δ' αὖ πρέπει χλιαρὰ κατεσθίειν*
v. 986 *τῷδ' ἐπείγοντ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον · ἅμα καὶ μεγάλα δὴ φρονεῖ,*
v. 987 *τοῦ βίου δ' ἐξέβαλε δεῖγμα τάδε τὰ πτερὰ πρὸ τῶν θυρῶν.*
v. 976 *αὐτόματα πάντ' ἀγαθὰ τῷδέ γε πορίζεται.*
v. 977 *οὐδέποτ' ἐγὼ Πόλεμον* etc. usque ad v. 985.

Constructio est: *πρέπει τῷδε* (huic) *ἐπείγοντι ἐπὶ τὸ δεῖπνον* (properanti ad cenam) *κατεσθίειν τὰ χλιαρά*. De metro vid. Herm. El. d. m. 509 et Rossb.-Westph. 545 sq. Antistropham (v. 986—999) non statuo ut illi, sed cum Bekkero v. 971—987 Choro do, v. 988—999 Dicaeopoli ex versuum sententia. —

Notio proficiscendi etiam verbo *δαιμονᾶν* videtur inesse, quod habemus Th. 1055 *δαιμονῶν αἰόλαν νέκυσιν ἐπὶ πορείαν*. Vulgo *δαιμόνων* legitur, sed falso, nam genet. plur. esse non potest, quare inepte Schol.: „*λείπει ἔσχον, ἐκ τῶν δαιμόνων τὰ ἄχη ἔσχον.*" Bekk. edidit:

. . . . ὡς ἐκρεμάσθην
λαιμότμητ' ἄχη δαιμονῶν, αἰόλαν
νέκυσιν ἐπὶ πορείαν.

Bergk. eadem legens interpungit post *ἄχη* et interpretatur in praef. Vol. II, p. XV „furiis actus ad viam, quae fervet mortuis". Sed quomodo, si ita distinguitur, constructio est

et interpretatio verborum *ὡς ἐκρεμάσθην λαιμότμητ' ἄχη*? De his Bergk. nihil dicit. Alii, ut Brunck. et Both., legunt *αἰόλᾳ νέκυσιν ἐπὶ πορείᾳ*. Sed primum de vocabulo *δαιμονᾶν* dicendum est. Schol. ad Eur. Phoen. 895 explicat *δαιμονῶντες* hoc modo: „*σκληρῷ δαίμονι καὶ ἀπανθρώπῳ χρώμενοι*", h. e. „a malo daemone possideri et furiari". Non aliter Hesych. s. v. *δαιμονᾷ* · „*ὑπὸ δαίμονος κατέχεται*" et Suid. s. v. *δαιμονᾶν* · „*ὑπὸ δαίμονος κατέχεσθαι καὶ μαίνεσθαι*". Quod verbum non inusitatum est Aeschylo et Euripidi (cf. Aesch. S. Th. 1003. Choeph. 564 Eur. Phoen. 895). Locutio autem *δαιμονᾶν λαιμότμητα ἄχη* poetica licentia usurpata est, cum dativum casum exspectemus vel praepositionem *διά*, nam sensus est: „lymphata mente insaniens vehementissimis affectus doloribus". Quae sequuntur sic commentamur, ut verbum eundi subaudiamus, quare non puto ut Brunck., mendosam esse hanc vulgatam scripturam *αἰόλαν ἐπὶ πορείαν*; nam sic transfero: „zu dem Pfad der Gestorbenen hinab (eilend)". Itaque hic ordo est versuum: „*ὡς ἐκρεμάσθην δαιμονῶν ἄχη λαιμότμητα, ἐπὶ πορείαν αἰόλαν νέκυσιν*". Dativum *νέκυσιν* figura poetica positum esse pro genetivo *νεκύων* (i. e. „der von Gestorbenen wimmelnde Pfad"), Brunck. bene exposuit ad Eur. Phoen. 85.

Accedo ad ea movendi verba, quae transitive adhibentur: *ἄγειν* Vesp. 1005. Th. 919. Ran. 1365. Eccl. 1001. Pl. 656. *ἐξάγειν* Ran. 351. *ἐκφέρειν* Eq. 1407. *πέμπειν* Th. 769. *ἐπιβάλλειν* Av. 560. *μεταβάλλειν* Th. 724. *καλεῖν* Av. 890, 1602. Lys. 2. Eccl. 348. *ἀνατιθέναι* Pl. 69. *τρέπειν* Nub. 589. *ἄναγε ἐπὶ σκέλος**) Av. 383 obiecto ommisso, ut *ἀνάγειν* verbum intrans. factum sit; quae dictio formata est ex illa *ἐπὶ πόδα ἀνάγειν* (Xen.

---

*) cf. Bekk. Anecd. 72, 31 *χωρεῖν ἐπὶ σκέλος τὸ ὀπίσω ἀναχωρεῖν μὴ δόντα τοῖς ὑπεναντίοις τὰ νῶτα· Ὅμηρος δὲ λέγει ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων.* —

Cyr. 3, 3, 69) vel *ἀναχωρεῖν* (Anab. 5, 2, 32) vel *ὑποχωρεῖν* (Arr. Anab. 5, 17, 12); cf. Eur. Phoen. 1400 *ἐπὶ σκέλος πάλιν χωρεῖ.*

Addendum est huic usui *συμφέρειν*, proprie „conferre", tum metaphorico sensu „prodesse" in *ἐπὶ τό βέλτιον συμφέρει* Nub. 594. Eccl. 475.

Nemo erit, qui attentius haec legens non animadverterit, verba et supra et postremo allata, quae intellectum habent agendi, ferendi, iaciendi, mittendi, vocandi similemque, non modo proprie, sed etiam translate esse usurpata. Sed quoniam longum est, omnia haec tantum modo perstringere, praesertim cum Arist. vulgarem usum parum excedat, iamque satis qua ratione illic utatur praepositione demonstrasse videor, nunc mentionem faciam alius usus, quem cum primaria significatione cohaerentum hostilem mihi liceat appellare. Quam vim tenentem videmus particulam addi verbis intransitivis *ἰέναι* (*ἐπὶ θεούς* „contra deos") Av. 634; cf. supra Ran. 291. *ἥκειν* Vesp. 244. *ἵεσθαι* ib. 425. *καταβαίνειν* ib. 1514. *συμβοηθεῖν* Lys. 247. *πλεῖν* ib. 675; *ἐπιστρατεύεσθαι* Vesp. 12. *ἐπισίζειν* ib. 705. Verbum eundi deest Ran. 1021 *τοὺς ἑπτ' ἐπὶ Θήβας*. Bis tantum cum verbo transitivo *ἐπί* construitur: Nub. 397 *ἰέναι ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους* et Av. 1250 *πέμπειν ἐπ' αὐτόν*.

Sequitur, ut de eo loquendi genere pauca dicam, ex quo proprietas quaedam sermonis Aristophanei cognosci possit. Dum causa indicatur, fit apud verba eundi, ut ea re, ad quam actio aliqua dirigitur, simul id contineatur, quod actione spectatur et petitur. Exempla sunt haec: Vesp. 854 *ἐπὶ τοὺς καδίσκους* sc. *θέω* „curro ad urnas" h. e. „ut urnas petam".*) Av. 77 *τρέχω 'π' ἀφύας.* ib. 79

*) Hoc modo etiam *μετά* usurpatur, non apud Arist., sed cf. Hom. α, 184 *πλεῖν μετὰ χαλκόν.* β, 206 *μετ' ἄλλας ἔρχεσθαι.* β, 308 *μετὰ πατρὸς ἀκουήν.* —

τρέχω 'πὶ τορύνην. Ran. 111 *ἦλθες ἐπὶ τὸν κέρβερον;* vid. ib. 69, 577, 1418. Th. 728. Eccl. 819.*)

Qui usus quamquam non apud omnes scriptores invenitur, tamen nonnunquam occurrit; cf. Hom. γ, 421 *ἐπὶ βοῦν ἴτω.* Herod. 7, 193 *ἐπὶ τὸ κῶας ἔπλεον.* ib. 6, 12 *πέμπειν ἐπὶ ὕδωρ.* Xen. An. 5, 10, 2 *λέγεται Ἡρακλῆς ἐπὶ τὸν Κέρβερον καταβῆναι.* Pind. Nem. 10, 49 *ἐλθεῖν ἐπὶ ξενίαν παρά τινα.* Thuc. 1, 116. 4, 13. 6, 93. Xen. An. 1, 5, 13. 3, 1, 41. Hell. 1, 6, 8. Cyr. 1, 6, 12. 4, 5, 31. Soph. OR 555. — Nec multo aliter res se habet, cum legimus Ran. 1265 sqq. quinquies *οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν* „non appropinquas ad opem ferendam?" Porro huc referenda est locutio *ἐπ' ἐκφοράν*, quae duobis locis exstat: Eccl. 926, ubi ex versu qui praecedit verbum *εἰσιέναι*, et Pl. 1008, ubi *βαδίζειν* subauditur.

Usitatior est usus, cum quamobrem aliquid fiat dicitur, qui ex his exemplis elucet: Nub. 256 *ἐπὶ τί στέφανον* sc. *λάβω*; Ran. 168 *ἐπὶ τοῦτ' ἔρχεται.* Av. 340, 637. Lys. 22, 482, 1001**). Quibuscum compares Plat. Gorg. 487, B *ἐπὶ αὐτὸ τοῦτο πάρεσμεν.* Thuc. 7, 15 *ἐφ' ἃ ἤλθομεν.* ib. 1, 59. 5, 87. 6, 104. Plat. Parm. 126, A. Gorg. 508, B. Rep. VI. 507, E. VII, 537, A. Legg. VI, 779, A.

Adverbialiter adhibita sunt Nub. 1108 *ἐπὶ μὲν θἄτερα.* Av. 1567 *ἐπ' ἀριστερά.* ib. 1568 *ἐπὶ δεξιά.* Lys. 543 *ἐπὶ πᾶν.*

Bis apud numeralia *ἐπί* praepositio accusativo addita est: Lys. 282 *ἐφ' ἑπτακαίδεκα ἀσπίδας* et Frg. 47 *ἐπὶ τρεῖς ἀσπίδας ἵστασθαι****).

*) cf. Krueg. 68, 42. A. 2. —

**) Similiter *πρός* construitur, de quo infra, et *κατά*, vid. Pac. 192 *ἥκεις δὲ κατὰ τί;* —

***) cf. Thuc. 4, 93 *ἐπ' ἀσπίδας πέντε καὶ εἴκοσι τάττεσθαι.* Saepe *εἰς* hoc sensu ponitur. —

§ 2.

πρός.

Venio nunc ad praepositionem *πρός*, cohaerentem cum particula *πρό*. Kuehner. II, 305 sqq. Schmidt. 64 sqq. Exstat apud Arist. trecenties tricies semel; longe maximum locorum numerum praebet accusativus.

Ut initium faciam a genetivo, quem praepositioni duodesexagies copulatum inveni, primaria notio localis ex quattuor tantum locis evidenter cognoscitur, quibus res designatur, cuius a parte aliquid egreditur. Primum exemplum vides Vesp. 1221 *ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς Ἀκέστορος*, cui iam alterum addimus ib. 1236 *Θέωρος πρὸς ποδῶν κατακείμενος:* aliter dictum est *τὰ πρὸς ποδῶν*, de quo infra. Proprie transfertur illud: „hospes aliquis a capite Acestoris“ vel „ad caput versus A.“, id quod eadem notio est, conspecta contraria ex parte, qua ex ratione notio orta est proximae viciniae: apud nos dicimus „zu Häupten jemandes“. Alter locus exhibet dictionem *πρὸς ποδῶν κείμενος* „a pedibus“ vel „ad pedes versus“ h. e. „ad pedes accumbens“, Germ. „zu Füssen“. Consentiunt grammatici omnes una mente, *πρός* cognatum esse *πρό* praepositioni, qua locus indicetur, ante quem quid sit vel fiat. Quare legimus apud Xen. An. 4, 6, 12 *πρὸ ποδῶν*, Pind. Ol. 7, 13 *πρὸ ποδός*, cui comparo illud Homeri *πρόσθεν ποδός* (*Ψ*, 877) et illud *προπάροιθεν ποδῶν* „quae ante pedes, quae proxima sunt.“ Itaque fit, ut *πρός* particula nonnunquam idem exprimatur: attamen noli putare, plane illius potestatem hanc assumpsisse, sed propria vi est praedita, ita ut plerumque illius notionem modo attingat, id quod etiam comprobatur hoc loco ex Av. 66 petito: *τὰ πρὸς ποδῶν ἐροῦ*. Ex hoc usu opinor profectum esse quod legitur Vesp. 1414 *ἔοικας θαφίνῃ Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου*, quem locum sic interpretor: „Inoni,

quae adhaeret pedibus (pendet ad pedes) Euripidis“ i. e. „quae eum e manibus non emittit“. De industria poeta hoc modo corporis partem designat, quam cogitatione ita percipiamus, ut cogitatio quasi inde exeat eoque rursus redeat.

Paullo a primaria vi praepositio recedit Ran. 1149 *οὕτως ἂν εἴη πρὸς πατρὸς τυμβωρύχος*, quo loco origo significatur, ut saepissime apud Atticos: „a patre“, itemque auctor vocatur Nub. 1122 *προσεχέτω τὸν νοῦν, πρὸς ἡμῶν οἷα πείσεται κακά*, ubi verbo intransitivo *πάσχειν* praepositio *πρός* additur similiter ac *ὑπό* cum gen.: cuius generis hoc unum exemplum est. Sed saepissime hoc invenis apud Tragicos: Soph. Phil. 1012 *γελώμενος πρὸς σοῦ*. ib. 1060 *πρὸς ὑμῶν λειφθήσομαι*. Aesch. Spt. 954 *πρὸς φίλου ἔφθισο*. Eur. Med. 26 *πρὸς ἀνδρὸς ἠδικημένη*. Sic etiam Hom. *Λ*, 831 *τά σε προτί φασιν Ἀχιλλῆος δεδιδάχθαι*. Herod. 4, 47 *οὐ λέγεται πρὸς οὐδαμῶν;* cf. ib. 3, 115. 2, 75. 152. 5, 20. Pind. Isthm. 3, 77 *τετίμαται πρός ἀθανάτων φίλος*. ib. Fragm. 88 (100) *πρὸς Ἀφροδίτας ἀτιμασθείς*. ib. 98 (110) *ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται*.

Transeamus ad translatum usum ac primum commemoremus eos locos, quibus propria vis permixta videtur cum translata. Huc ea referenda sunt exempla, ubi praepositio adhibetur ad possessorem indicandum vel ad id, quod cum ab illo proficiscitur, tum maxime eius proprium est. Hoc modo Vesp. 369 *ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστ' ἄνοντος ἐς σωτηρίαν*. Th. 177 *σοφοῦ πρὸς ἀνδρός*. Ran. 534 *πρὸς ἀνδρός ἐστι νοῦν ἔχοντος*. ib. 540 *δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι*. Pl. 355 *πρὸς ἀνδρὸς οὐδὲν ὑγιές ἐστ' εἰργασμένου*. Simili modo Soph. Ai. 581 *οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ*. Aesch. Ag. 592 *πρὸς γυναικός ἐστιν*. Eur. Her. fur. 585 *πρὸς σοῦ ἐστι*. Eur. Hel. 950. Bacch. 641. Xen. An. 1, 2, 11 *οὐκ ἦν πρὸς τοῦ Κύρου τρόπου*. Mem. 2, 3, 15. Nec modo in lingua Latina, sed etiam apud Graecos genetivus casus sine

praepositione cum verbo *εἶναι* constructus ponitur, ut ab Aristophane ipso Pl. 362 *ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιές ἐστιν οὐδενός*, cf. ib. 870. Nonnunquam constructiones poeta miscet: quod vides Eq. 191 sqq.:

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους,
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν

quo loco animadvertas, particulam *εἰς* ad eandem fere notionem spectare. Mixtam structuram (genetivum et *πρός* cum gen.) legis etiam Vesp. 1014:

τοῦτο γὰρ σκαιῶν θεατῶν
ἐστὶ πάσχειν, κοὐ πρὸς ὑμῶν.

His addo duo exempla, quorum unum invenitur Vesp. 647 *τὴν γάρ ἐμὴν ὀργὴν πεπᾶναι χαλεπὸν μὴ πρὸς ἐμοῦ λέγοντι* „iram enim meam lenire difficile non loquenti mihi apte h. e. ad voluntatem". Alter locus exstat ib. 438 *ὦ Κέκροψ ἥρως ἄναξ, τὰ πρὸς ποδῶν Δρακοντίδη* „o Cecrops heros domine, quod ad pedes attinet (proprie „quod ad ea attinet quae pedibus apta sunt") Dracontide" h. e. „qui in draconem desinis".

Restant, ut loci Aristophanei enumerentur, quibus *πρός* in iuris iurandi formulis legitur. Superest locutio *πρὸς τῶν θεῶν* tricies bis: Ach. 95. Eq. 341, 1390. Nub. 200, 481, 784, 1103. Vesp. 484 (*ὦ πρὸς τ. θ.*), 760, 919, 1136 (*π. πάντων θ.*), 1218, 1388, 1418. Pac. 9, 322, 376. Av. 69, 663, 996. Lys. 850, 857, 1245. Th. 172, 228. Ran. 1248. Eccl. 562, 1095. Pl. 458, 1147, 1176. Frg. 146. Aliae formulae sunt *πρὸς τοῦ Διός* Nub. 314. Ran. 756. *πρὸς τοῦ Διὸς τοὐλυμπίου* Av. 130. *πρὸς τῶν γονάτων* Ach. 414 (cf. Eur. Med. 324). Eq. 1299. Pac. 1113. *πρὸς τῆς Γῆς* Nub. 366. *πρὸς τῆς δεξιᾶς* Th. 936. *ὦ πρὸς Αἰδοῦς* ib. 1018*). *πρὸς τῆς Ἑστίας* Pl. 395. Comice dictum est,

*) Hoc loco Bekk. legit: *κλύοις ὦ*
προσαυδῶσα τὰς ἐν ἄντροις;

locutioni *πρὸς τῶν θεῶν* quae praecedit respondens, *πρὸς τῶν κρεῶν* Pac. 378.

Sed quoniam disserui de genitivo, nunc pauca de dativo casu dicam, quem repperi septem et triginta locis. Ut apud alios scriptores, sic apud Aristophanem *πρός* cum dativo coniunctum loci propinquitatem indicat, ubi Latinae praepositiones ponuntur „apud, ad, ante". Itaque cum haud nimis hic usus distinguitur a vulgari sermone, primum nonnulla exempla usitatiora si licet afferamus, deinde alia, quae magis Aristophanis propria videntur. Nec discrepant cum usu aliorum haec: Pac. 577 *πρὸς τῷ φρέατι ἰωνία.* Av. 705 *πρὸς τέρμασιν ὥρας.* ib. 1482 *πρὸς αὐτῷ τῷ σκότῳ ἔστι χώρα.* ib. 1553 *πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσιν λίμνη ἐστί.* ib. 1694 *πρὸς τῇ Κλεψύδρᾳ ἔστι γένος.* Lys. 282 *πρὸς ταῖς πύλαις καθεύδειν.* ib. 294 *πρὸς τῇ τελευτῇ τῆς ὁδοῦ.* Th. 940 *πρὸς τῇ σανίδι δεῖν.* Eccl. 502 *πρὸς ταῖν γνάθοιν σάκος.* ib. 1101 *πρὸς ταῖς γνάθοις λήκυθον ἔχειν.* Vesp. 1109 *πρὸς τοῖς τειχίοις ξυμβεβυσμένοι πυκνόν* „dense contracti ad muros": hic intellegendus est locus angustus sub muris, cuius angustiis illi subeuntes aliter progredi prohibeantur ac capite in terram inclinato. Tum praepositione ei quod iam adest aliquid adicitur: Eq. 1075 *πρὸς τῷ κυνὶ προσετέθη*, cf. ib. 815. Nub. 720 *πρὸς τούτοις ἔτι τοῖσι κακοῖς .. φροῦδος γεγένημαι.* ib. 1256 *προσαποβαλεῖς ἄρ' αὐτὰ πρὸς ταῖς δώδεκα.* Vesp. 565 *προστιθέασιν κακὰ πρὸς τοῖς οὖσιν.* Th. 23 *πῶς ἂν οὖν πρὸς τοῖς ἀγαθοῖς τούτοισιν ἐξεύροις.* Ran. 1134 *πρὸς τρισὶν ἰαμβείοισι προσοφείλων φανεῖ.* Qui loci docent,

Both.: *κλύεις ὦ; προσαυδῶ σὲ, τὰν ἐν ἄντροις.* Vulgo *προσιδοῦσα*, in Rav. *προσαιδοῦσσαι·*

Bergk.: *κλύεις ὦ πρὸς Αἰδοῦς*
σε τὰν ἐν ἄντροις;

quae lectio maxime mihi placet. Sensus non difficilis; namque his verbis echus opem implorat. —

poetam praepositionem compositis cum *πρός* verbis addere libenter, id quod praeterea vides Nub. 163 *προσκεῖσθαι πρὸς στενῷ* et ib. 1010 *τὸν νοῦν προσέχειν πρός τινι*, quae dictio est inusitatissima pro *τὸν νοῦν προσέχειν τινί* vel *τὸν νοῦν ἔχειν πρός τινι*; cf. infra Th. 291 *πρός τι νοῦν ἔχειν καὶ φρένας* et Pac. 174 *πρόσεχε τὸν νοῦν ὡς ἐμέ*. Maxime ea, ad quae adicitur aliquid, significantur vocibus *πρὸς τούτοις* Eq. 541, 815. Nub. 1022, 1219. Vesp. 686, 776. Av. 1109. Th. 816. Ran. 152, 553, 1194. Eccl. 1116. Pl. 540. Frg. 495. *πρὸς τοῖσδε* Ach. 914. *πρὸς τούτῳ* Th. 668. Contra Ran. 697 *πρός* in locutione *πρὸς δὲ τούτοις* etc. ut adverbium usurpatum est. Kockii sententiam amplector, qui parenthesin versuum 695 et 696 esse arbitratur, post quam poeta aliter perrexerit atque in v. 693 inceperit. Sic enim fortasse dixisset, si constructionem servasset: *τούτοις δέ, οἳ προσήκουσι γένει, τὴν μίαν ταύτην μὴ παρεῖναι ξυμφορὰν αἰτουμένοις*. Dicere enim poeta vult, haud decorum esse, cives de republica bene meritos propter levia peccata crudeliter tractari, cum interea servi, qui semel pugnaverint, libertatem civitatemque assequantur; servi enim istis viris opponuntur, qui, quamquam saepe pugnarunt pro patria, tamen honoribus sunt privati. Cum Berglero utrum distinguamus *πρὸς δέ, τούτοις* necne nihil refert.

Denique non praetereo Ach. 1183 *πίπτειν πρὸς ταῖς πέτραισι* „cadere in saxa", ut Hom. ε, 415 *βάλλειν ποτὶ πέτρῃ*; η, 279. *βάλλειν ποτὶ γαίῃ* λ, 423. Α, 245. — Aesch. Prom. 56 *πασσάλευε πρὸς πέτραις*. Deinde Th. 543 *πρὸς τῇ κεφαλῇ λίθος* „ad caput" i. e. „sub capite lapis".

Saepissime haec praepositio cum accusativo coniuncta invenitur; sed priusquam de usu dicam, pauca de particulae forma videntur praemittenda. Praeter vulgarem formam Acharnenses ter et Lysistrata octies formam Doricam *ποτί* praebent, quae plerumque apocopen patitur.

Semel legitur *ποτὶ πυγάν* Lys. 82, ceteroquin litera *ι* eliditur aut ante vocalem, ut Lys. 87, 1076 *ποθ' ὑμέ*, ib. 95 *ποθ' ἁμέ*, aut ante consonantem *τ* articuli ita ut praepositio et articulus inter se cohaerescant. Quae occurrunt Ach. 732 *ποττάν* = *πρὸς τάν*, cf. ib. 783, Lys. 1006. Ach. 751 *ποττό*, cf. Lys. 117. Lys. 1253 *ποττά*. ib. 1264 *ποττάς*. Mirum est, cur accusativo tantum hanc particulae formam poeta coniungat. — Ut ad significationem praepositionis transeamus, de eo primum usu agamus, ex quo *πρός* verbis additur, quibus movendi notio inest. Sic locus exprimitur, ad quem versus aliquid movetur. Verba eundi aliaque eiusmodi exstant haec: *ἰέναι* Lys. 690. Pl. 659, 823. *προσιέναι* Lys. 214, 215. Th. 933. *προϊέναι* Th. 69. *ἔρχεσθαι* Av. 411. Lys. 117. Eccl. 497. Pl. 844. *προσέρχεσθαι* Av. 1212. Pl. 928, 1169. *ἀνέρχεσθαι* Av. 1563. *χωρεῖν* Pac. 555. Av. 216. Ran. 882. *ὑποχωρεῖν* Pac. 507. *ἥκειν* Pl. 827, 840. *ἵκειν* Lys. 87. *βαδίζειν* Eq. 1217. Av. 837. Lys. 1212. Frg. 78, 445. *παραβαίνειν* Ach. 629. Pac. 735. *ἀναβαίνειν* Eq. 508 (cf. Ach. 732 *ἄμβατε ποττὸν μάδδαν*). *μολεῖν* Lys. 1264. *ἐξαυτομολεῖν* Nub. 1104. *θεῖν* Th. 513. *ἐσθεῖν* Av. 1169. *σπεύδειν* Vesp. 1026. Lys. 266. *στείχειν* Av. 1398. *ἐπείγεσθαι* Eccl. 1149. *ἀφικνεῖσθαι* Av. 120. Th. 180. Pl. 653. *πέτεσθαι* Av. 242, 1230. *ἀναπέτεσθαι* (cf. Frg. 500 *πρὸς ἄνδρας ἐκπετήσιμοί εἰσιν*) Av. 1372. *ναυστολεῖν* Th. 1101. *συνακολουθεῖν* Ran. 400. *προσπίπτειν* Eq. 31. *τρέπεσθαι* Eq. 72. Av. 717. Lys. 1137. *στρέφεσθαι* Th. 1128. *μεταστρέφεσθαι* Ran. 539. *ἑαυτὸν μετακυλινδεῖν* Ran. 536.*)

*) Verbum movendi etiam apparet in dictione Ach. 1032 *κλᾶε πρὸς τοῦ Πιττάλου*. Elmsl. edidit *κλᾶε πρὸς τοὺς Πιττάλου*, item Invern., Dind., Bekk. Sed iam Suidas meliorem articuli formam praebet *τοῦ*, quamquam verbo mutato. Nam in *Σπίτταλος* haec: „*ἰατρὸς παρ' Ἀθηναίοις δόκιμος . Ἀριστοφάνης· ἄπελθε πρὸς τοῦ Σπιττάλου*". Pro *ἄπελθε* legitur *κλᾶε*, sed hac voce nihil aliud exprimitur nisi „abi

Praeter haec verba, quorum postremo enumerata translato sensu adhibita sunt, liceat mihi afferre *ἅλλεσθαι ποτὶ πυγάν* Lys. 82 „salire (pedes iacere) usque ad podicem". *ἀσκωλιάζειν πρὸς τὴν αἰθρίαν* Pl. 1129 „salire sub divum"; cf. Hor. Carm. I, 18 „sub divum rapere". *πρόκροον ποττὰ κᾶλα* Lys. 1253, ubi vocem *πρόκροον*, Doricam formam pro *προὔκρουον*, apte vertas „acri impetu invehi, irruere in".

Hoc exemplo facile transeo ad hostilem praepositionis sensum. Quod enucleatius expositurus nonnullos locos affero, ex quibus optime cognosci potest, moveri aliquid adversus hostem. Eq. 511 *χωρεῖν πρὸς τὸν Τυφῶ καὶ τὴν ἐριώλην*. Ach. 1134 *θωρήσσεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους* (cf. ib. 1135). Av. 1190 *πόλεμος αἴρεται πρὸς ἐμὲ καὶ θεούς*. ib. 1597 *πολέμου ἄρχειν πρὸς ὑμᾶς*. Th. 806 *πολεμίζειν πρὸς Ἀριστομάχην*. Lys. 887 *δυσκολαίνειν πρός ἐμέ*. Ran. 794 *διαγωνίζεσθαι πρός γ' Εὐριπίδην*. Huc pertinet etiam Ran. 982 *κράζειν πρὸς τούς οἰκέτας* „invehi in vernas, increpare v." Uti verbis bellandi, ita oppositis verbis pacem ineundi *πρός* additur, qui vulgaris usus apud Arist. his locis apparet: *σπονδὰς ποιεῖσθαι* Ach. 52, 131. Lys. 1006. Th. 1161. Inusitata est locutio *διαλλάττειν πρὸς ἡμᾶς ἀνδράσιν Λακωνικοῖς* Lys. 628. Ad explicandum locum Reisk. annotat: „In *διαλλάττειν* subintellege *τὴν ἔχθραν* aut *τὸ μῖσος*". Sed nimia in hac interpretatione ars est neque dubium, quin ea dictio ab omnium quod sciam scriptorum sermone abhorreat. Ubique enim constructio est *διαλλάττειν τινά τινι* (cf. Thuc. 8, 89), quoniam *διαλλάττειν τινά* ipse Arist. dicit ib. 1091, 1104. Quare rectum invenisse videtur Brunck., qui *πρός* hic adverbii vicem fungi

---

flens ad Spittali vel Pittali domum". Supplendum enim est vocabulum *οἶκος* et optima haec lectio, praesertim cum legatur Ach. 1222 *ἐς τοῦ Πιττάλου* et Vesp. 1432 *εἰς τὰ Πιττάλου*, sc. *φάρμακα*. Qui *πρὸς τοὺς Π.* legit, is subintellegit *οἴκους* vel *μαθητάς*. —

nec construendum cum *ἡμᾶς* esse dicit. Ordinem praebet: *καὶ πρὸς* (= et insuper, *καὶ προσέτι*) *διαλλ. ἡμᾶς ἀνδράσιν Λ.* et confert Aesch. Prom. 937.

Annumero transitiva verba movendi *ἕλκειν* Eq. 710. Nub. 233. *ἐλαύνειν* Nub. 69. *ὠθεῖν* (*πολλοὺς τῶν λίθων πρὸς τὴν θύραν*) Vesp. 199. *παρακλίνειν* (*τοὺς μυκτῆρας πρὸς τὰς λαύρας*) Pac. 158. *τρέπειν* Av. 1450. *ἀνατείνειν* (*πρὸς τὸ ὄροφον τὰ Περσικά*) Lys. 229, 230. *οἶσε* (*πρὸς τὴν καρδίαν μου σπογγίαν*) Ran. 482. *ἐρέφειν πρὸς ἀετὸν τὰς οἰκίας* Av. 1110.*)

Notio quidem movendi inest etiam in translatis dictionibus, sicut *βλέπειν πρός τινα* Nub. 323. Pac. 635. Ran. 544. *ἀποβλέπειν* Ach. 291. *ὁρᾶν* Av. 1334. *χάσκειν* Eq. 651, 804, 1118. Nub. 996. *πωλεῖν, ἀγοράζειν* Ach. 625, 722. *ἀνταποπέρδειν* (*πρὸς τὰς βροντάς*) Nub. 294. *αἰνίσσεσθαι* (*πρὸς τὸν ἀέρα*) Av. 970 (cf. Eq. 1085 *εἴς τι*). *φέρουσαι . . ὁδοὶ ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον* Av. 1007 et verbo omisso Lys. 288 *χωρίον τὸ πρὸς πόλιν*. Ran. 844 *σπλάγχνα θερμαίνειν πρὸς ὀργήν*. Eccl. 446 *συμβάλλειν πρὸς ἀλλήλας ἱμάτια*. Eccl. 1060 *θαρρεῖν πρὸς ἐμαυτόν*; cf. Plat. Prot. 350, B *πρός τι*. Tum *πρὸς θάληκον νοῦν ἔχειν καὶ φρένας* Th. 291, quo loco substantivum ex praepositione suspensum valde corruptum videtur. Scaliger scripsit *πρὸς φάλητα*, quem Brunck. sequitur et Bekk; edd. Venetae *φαλλικόν*, quod restituit Invern. Ex librorum lectione *θάληκον* Kuester. coniecit *θύλακον* i. e. saccum (vid. Eccl. 820 et Pl. 763), in quo recondi soleat farina, et ad proverbium haec spectare putat: „ad saccum farinae i. e. rem familiarem attentum

---

*) *ἐρέφειν* etc. = „cingere vel coronare domos usque ad fastigium"; *ἀετοί* non modo „aquilae" erant, sed etiam „fastigia templorum", ut Comicus hic in homonymia vocis *ἀετός* ludat. Cf. Kock. ad h. l. et Both., cuius ex notis etiam haec ascribo: „*ἐρέφειν οἰκ. π. ἀ.* h. e. totas domos opplere nidis". —

esse“. Sed haec minus placent; scribendum puto *φάλητα* (cf. Lys. 771 — *φάλης* idem est quod *φαλλός* i. e. membrum virile —) vel *φαλλικόν* (quod, sc. *μέλος*, canticum est in Bacchi honorem in dei sacris, ubi phalli effigies gestabatur, cf. Ach. 261 *ᾄσομαι τὸ φαλλικόν*): sed utrum melius sit nescio. — Venio ad locutionem *ἐρείδεσθαι ἔπος πρὸς ἔπος* Nub. 1375. Cuius loci mentio fit apud Suidam s. v. *Ἔπος πρὸς ἔπος*, qui veram lectionem *ἠρειδόμεσθ'* praebet; *ἠριζόμεσθ'* enim in editionibus vulgatis legitur, quod verbum Kuester. scholium et interpretationem existimat, quae postea ex margine irrepserit in textum. De verbo *ἐρείδειν* Schol. ad Pac. 25: „*ἐρείδειν φασὶν οἱ Ἀττικοὶ πᾶν ὁτιοῦν συντόμως γιγνόμενον . ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἐρεσσόντων καὶ ἐπερειδομένων ταῖς κώπαις*“. Quare bene Kuest.: „*ἐρείδειν* et *ἐρείδεσθαι* magno nisu certatim et cum quadam contentione aliquid facere“, proprie „incumbere alicui rei“. Haec vox per metaphoram a remigibus sumpta, qui remis magna virium contentione incumbunt, vario sensu haud raro a poeta usurpatur. Sic. Pac. 31 *ἐρείδειν* dicitur = „avide devorare“; Ran. 914 eodem fere sensu, quo hic: *ὁ δὲ χορός γ' ἤρειδεν ὁρμαθοὺς ἂν μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας* . . . . — „ordines quattuor versuum cecinisset“ — et similiter Eq. 627 pro „invehi in aliquem“, 628 pro „eiaculari aliquid i. e. verba“. Addimus Eccl. 616, ubi *ἐρείδειν* Arist. dicit pro *βινεῖν*. Si haec omnia reputaverimus, locutionem hanc *ἔπος πρὸς ἔπος ἐρείδεσθαι* recte vertendam esse „verbis contendere“ (proprie „Wort an Wort drängen“) satis apparebit. — Ach. 659 legimus *πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω*, quae verba ex Euripide cum sequentibus versibus repetita ibi sic exstant: *πρὸς ταῦθ' ὅτι χρῇ καὶ παλαμάσθω*; cf. Suid. s. v. *παλαμᾶσθαι*. Quorum haec est parodia, quare lectionis diversitas et hoc versu et insequentibus satis excusatur. Comparamus Soph. Ai. 971:

πρὸς ταῦτ' Ὀδυσσεὺς ἐν κενοῖς ὑβριζέτω,

et nobis sic vertere liceat illud Aristophaneum: „darauf hin soll K. seine Anschläge richten“, quamquam etiam hoc modo recte transfertur: „deshalb (*πρὸς ταῦτα*) soll K. s. A. ersinnen“.

Iam vero *πρός* cum acc. copulatum, ubi dativum casum exspectamus, verbis adiungitur, quamquam motus significatio plane evanuit et praepositio a naturali notione loci, ad quem quid movetur, videtur recedere: quibus tamen omnibus locis origo ex illo concreto usu ducta facile cognosci potest, nec temere poeta hunc casum adhibuit, quoniam accusativo imago magis perspicua praebetur quam dativo. Quo pertinent Nub. 198 *διατρίβειν πρὸς ἀέρα*. Eccl. 64 *ἑστῶσα πρὸς τὸν ἥλιον* (cf. Nub. 771). Vesp. 772 *ἡλιάζεσθαι**) *πρὸς ἥλιον*. Pac. 567 *αἵτε θρίνακες διαστίλβουσι πρὸς τὸν ἥλιον*. Fragm. 501 *πρὸς τὸν ἥλιον λούεσθαι καὶ κτενίζεσθαι*. ib. 524 *πρὸς εἵλην ὀπτᾶσθαι*. Ubique „in aprico“ intellegendum, opp. *πρὸς τὸ πῦρ* „ad ignem i. e. domi, sub tecto, ut Vesp. 773 *καθῆσθαι*, Pac. 735 *διέλκειν*, ubi *βίον* suppletur = „vitam degere“ aut explicatur „bibere“, cf. Ach. 751. Deinde *βουλεύειν πρὸς λύχνον* Pac. 692. Scytha dicit Th. 1001 *πρὸς τὴν αἰτρίαν οἰμῶξι* „sub divum i. e. sub divo lamentare“. Exempla huius modi apud alios scriptores rara sunt; cf. Hom. *M*, 64 *σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ ὀξέες ἑστᾶσιν, ποτὶ δ' αὐτοὺς τεῖχος Ἀχαιῶν*. Aesch. Choeph. 913 *ἔοικα θρηνεῖν ζῶσα πρὸς τύμβον μάτην*. Aesch. Prom.

*) Verbum *ἡλιάζεσθαι* ambiguam notionem continet, et „apricari“ et „iudicare, iudicem esse in Heliaea“, unde iocus sumptus est. H. Steph. in Thes. *Ἡλιάζω*: „In Heliaea iudico. Frequentius vero voce media usurpatur. Vesp. 771 *ἡλιάσει* = apricaberis iudicans“. Stephani haec est interpretatio: „*ἐπειδὰν ἀνάσχῃ ὁ ἥλιος, ἡλιάζειν ἐνέσται σοι, ἐὰν δὲ νίφῃ, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος* i. e. cum exorietur solis splendor mane, licebit tibi in aprico iudicare, sin ningat, ad ignem sedenti“. Idem verbum Eq. 788 et Lys. 380, quo loco formam Doricam *ἡλιάξεις* poeta posuit. —

348 *πρὸς ἑσπέρους τόπους ἔστηκε.* Ex Aristophane videas denique Eq. 910 *ὦ Δῆμέ μου πρὸς τὴν κεφαλὴν ἀποψῶ* „capite quasi spongia nares abstergere". Tum Vesp. 267 *ὡς οὐ φαίνεται δεῦρο πρὸς τὸ πλῆθος* „quia vulgo (ad vulgus) non apparet."

Minus debilitata est motus significatio apud verba dicendi, quibuscum noto ex usu praepositionem *πρός* permultis locis Arist. coniungit. Saepissime legitur verbum *λέγειν* ceteraeque formae *εἰπεῖν* et *ἐρεῖν*; ita Ach. 312 *τολμᾷς λέγειν πρὸς ἡμᾶς;* Eq. 899 *πρὸς ἐμὲ τοῦτ' εἶπε.* Ach. 690. Eq. 622. Nub. 1030, 1352. Vesp. 44. Pac. 658, 660, 661.*) Lys. 414, 993. Th. 707. Ran. 993, 1243. Eccl. 158. Pl. 252. Vocabulum *ἐρεῖν* invenitur in comp. *κατερεῖν* Av. 594. *ἀντερεῖν* Nub. 1079. Eccl. 249. Tum vides composita *ἀντιλέγειν* Nub. 888. Ran. 1007. *ἀντειπεῖν* Ach. 701. *κατειπεῖν* Nub. 518. Alia dicendi verba sunt *φάναι* Vesp. 78. Av. 397. *φράζειν* Ach. 111. Nub. 359. Vesp. 335. *φάσκειν* Pac. 67. *λαλεῖν* Pac. 539. *μυσίδδειν* = *μυθίζειν* Lys. 95, 1076. Non praetermitto dictionem valde inusitatam *φυρᾶσθαι τὴν φωνὴν πρός τὸν ἐραστήν* Nub. 979. Tum vero huc spectant *ἀποκρίνεσθαι* Ach. 632. *διαβάλλειν πρὸς Ἀθηναίους καὶ τὸν δῆμον* Eq. 811 „calumniari apud Ath.", et saepe particula *πρό* hoc modo transferenda est, ut nos dicimus „vor, bei"; cf. Th. 410. Quod satis cognoscitur ex cognatis verbis: *ἀναγιγνώσκω πρὸς ἐμαυτὸν τὴν Ἀνδρομέδαν* Ran. 53 „lego mecum", sicut illud *σκοπεῖν πρὸς ἑαυτόν* „secum reputare", Plat. Apol. 21, D.

---

*) Cum Stangero (Philol. XXIV, 124) censeo, versus hos duos Pac. 661 sq.

εἴφ' ὅτι νοεῖς αὐτοῖσι πρὸς ἔμ', ὦ φιλτάτη.
ἴθ' ὦ γυναικῶν μισοπορπακιστάτη.

transponendos esse, quia altero versu dicendi adhortatio iam continetur et priore uberius explicatur. Stang. notat versum Homericum: *ἀλλ' ἄγε μοι τάδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον.* —

μινύρομαι πρὸς ἐμαυτήν Eccl. 880. *ᾄδω πρὸς ἐμαυτήν* ib. 931, a quo usu diversum est quod legitur Ran. 1307:

δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου,
πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια ταῦτ' ᾄδειν μέλη,

namque metaphorice motus cantici ad Musam indicatur sive Musae comitatus („ad quam canere"). Eadem constructio, sed paullo diversa sententia est in Frg. 377 *πρὸς μυρρίνην ᾄδειν.*

Raro verba vocandi cum *πρός* dicta reperiuntur; haec fere apud Arist. sunt: *καλεῖν πρὸς τὸ φῶς* Nub. 632 et *προσκαλεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀγορανόμους* Vesp. 1407.

Ut iam supra in dativo casu explicando commemoravi, verba cum *πρός* composita poeta praepositioni coniungere amat et proprio sensu et translato. Nonnulla exempla iam attuli, alia sunt: *προστιλᾶν πρὸς αὐτὼ τὠφθαλμώ* Nub. 410. *προσπατταλεύειν ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον . . ὥσπερ κοτίνῳ* Pl. 942, inquo uno membro Arist. praepositionem et solum dativum variat.

Conferamus vero has accusativi casus constructiones cum dativo, quos casus eodem fere modo usurpari ex his potissimum elucet locis:

Eq. 1075 *πρὸς τῷ κυνὶ προσετέθη.*
Vesp. 565 *προστιθέασιν κακὰ πρὸς τοῖς οὖσιν.*
Nub. 163 *πρός στενῷ προσκείμενον.*

Nub. 63 *προσετίθει πρὸς τοὔνομα*
ib. 468 *μηχανὰς . . πρὸς σὲ καινὰς προσφέρω.*
Ran. 1215 *πρὸς γὰρ τουτονὶ τὸν πρόλογον . . προσάψαι.*
Pac. 1183 *προσιὰς πρὸς τὸν ἀνδριάντα.*

Iam totum praepositionis usum localem pertractavimus eique, quamquam translative nonnunquam usurpatur, tamen movendi notionem inesse vidimus. Quae notio quasi fracta est, ubi particula saepe absolute posita significationem

habet „quod attinet ad“ et vernaculae locutioni respondet „in Beziehung auf“. Ita relatio ad aliquid significatur his locis: *πρὸς πάντα συκοφάντης* Ach. 951. *πρὸς πολιτείαν ἅπαντα ἔχεις* Eq. 219 (cf. Eur. Or. 427 *τὰ πρὸς πόλιν πῶς ἔχεις*). *πῶς οὖν πρὸς ἐμὲ ταῦτ' ἐστίν;* Eq. 202 „quomodo ad me haec attinent?“ *δεινῶν δέ σοι βουλευμάτων ἔοικε δεῖν πρὸς αὐτόν* Nub. 1034. *τουτὶ μὲν οὐδέν πω πρὸς ἕνην τε καὶ νέαν* Nub. 1188. *τίνα λόγον ἄρα ποτὲ πρὸς ἐμὲ φίλον ἔχων;* Av. 315. *ἀλλὰ πρὸς μὲν οὖν τὸν ὄρνιν ἧμιν ὕστερος λόγος* „sed quod attinet ad hanc avem (de hac ave) postea agetur“ Av. 336. *χρήσιμον πρὸς τὸν βίον* Pl. 831. *τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τὸν θεόν;* ib. 842 „illud autem pallium quid pertinet ad deum?“ Nam *τί δύναται* est „quid sibi vult, quid facit, pertinet“, velut Thuc. 6, 36 *αἱ ἀγγελίαι τοῦτο δύνανται* i. e. „eo pertinent vel spectant“. Quam ad vocem adiungitur ioci causa et *εἰρωνικῶς* formula *πρὸς τὸν θεόν*, ut homo irrideatur, qui iam ter his verbis antea usus sit. Vid. Hemsterhus. ad h. l. Eadem ratione saepissime legi *πρὸς ταῦτα* „quod ad haec attinet“, „propterea“ Eq. 760. Nub. 990, 1433. Vesp. 648, 793, 927, 1386. Pac. 70, 416, 765, 1315. Ran. 117. Eccl. 486, 851, 1140. Pariter *πρὸς τάδε* Pac. 305. *πρὸς τί;* Eq. 206. Pac. 45. Frequenter adverbialiter dicit Arist. *πρὸς βίαν* (= *βιαίως*) Ach. 73. Vesp. 443, 1080. Lys. 163. Ran. 1457. Eccl. 467, 471; cf. Aesch. Eum. 5. *πρὸς ὀργήν* Ran. 856, 998; cf. Soph. El. 361. *πρὸς πᾶν* Eq. 398; cf. *πρὸς πάντα* Xen. Cyr. 3, 3, 20 et haec: *πρὸς ἀνάγκην* Aesch. Pers. 561. *πρὸς ἀλκήν* Suppl. 812. *πρὸς χάριν* Soph. Ant. 30. *πρὸς τά μέγιστα* Herod. 8, 20. Tum apud Arist. Eq. 564 *πρὸς τὸ παρεστός*, quae locutio fere vocabulum „nunc“ complectitur, quia *τὰ παρεστῶτα* ea valent quae nunc sunt. Eccl. 751 *οὐδὲν πρὸς ἔπος* „nicht zur Sache gehörig“ = „um nichts und wider nichts“ („nihilo“); cf. Luc. Philops. 1.

Ab hoc usu orta est praepositionis significatio „secundum“, quod Germanica particula „gemäss“ vertimus. Spectanda sunt hi loci: Thesm. 149 sq.

χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα,
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.

Eccl. 969 *καὶ ταῦτα μέντοι μετρίως πρὸς τὴν ἐμὴν ἀνάγκην εἰρημέν' ἐστίν.* Nec longe recedunt ab hoc usu loci, quibus praepositio comparationem indicat, sicut Ach. 783 *ποττὰν ματέρ' εἰκασθήσεται* „pro matre (i. e. matri) similis fiet“; vid. Herod. 3, 34 *κοῖός τις δοκέοι ἀνὴρ εἶναι πρὸς τόν πατέρα.* Lys. 860 *λῆρός ἐστι τἄλλα πρὸς Κινησίαν* „pro Cinesia cetera nugae sunt“. Th. 802 *σκεψώμεθα δὴ κἀντιτιθῶμεν πρὸς ἕκαστον*, ut *συμβάλλειν πρός τι* Herod. 3, 95. 4, 50; cf. etiam Luc. Tim. 42 *οὐδὲν πρὸς Τίμωνα.* Xen. An. 7, 7, 41. Thuc. 3, 113. Dem. 51, 17.

Praeter hunc usum nonnulla restant exempla notatu dignissima, quibus exprimitur, quem ad finem quid fiat, ut principalis praepositionis vis magis prodeat. Videas quaeso Nub. 176 *τί οὖν πρὸς τἄλφιτ' ἐπαλαμήσατο;* „ad panem curandum“, quocum loco conferas ib. 648 *τί δὲ μ' ὠφελήσουσ' οἱ ῥυθμοὶ πρὸς τἄλφιτα;* Tum Th. 586 *πρὸς ποῖον ἔργον* sc. *ἀνέπεμψεν;* Quo refero Ach. 804 *ὡς ὀξὺ πρὸς τὰς ἰσχάδας κεκράγατε* „propter caricas impetrandas“, proprie „ad caricas versus“, id quod nostratium lingua dicitur „nach Feigen schreien“.

Tempus non significatur nisi Vesp. 1085 *πρὸς ἑσπέραν* „sub vesperam“, cf. Lys. 412. ib. 1089 et Eccl. 20 *πρὸς ὄρθρον* „sub ortum lucis“. Eccl. 312 *πρὸς ἕω* „ad primam auroram“. Sic *πρὸς ἀῶ ἔγρεσθαι* Theocr. 18, 55 *πρὸς ἡμέραν ἐξέγρεσθαι* Plat. Conv. 223, E. *πρὸς χειμῶνά ἐστιν* Dio Cass. 39, 44, cf. Xen. An. 4, 5, 21.

§ 3.

π α ρ ά.

Praepositionem *παρά* (Kuehner. II, 303 sqq. Schmidt. 55 sqq.) Arist. centum nonaginta septem locis usurpat: genetivum particula undeseptuagies, dativum septuagies bis ascivit, ceteri loci accusativum praebent.

Forma *πάρ* semel apud Arist. invenitur: Lys. 1309 *πάρ τὸν **Εὐρώταν***. Significatio particulae non aeque plana est quam priorum. Notio generalis, quae est „iuxta“, in tres speciales distrahitur, ex natura casuum quibus praepositio additur diversas. Ingenita vis praepositionis genetivo additae ita variatur, ut rem iuxta aliam rem sitam ex aliquo loco moveri significetur. Cum legimus Av. 1588 *πρεσβεύοντες ἡμεῖς ἥκομεν παρὰ τῶν θεῶν*, hac locutione exprimitur, legatos antea iuxta deos, *παρὰ τοῖς θεοῖς*, fuisse. Nemo non intellegit ex hoc loco aliisque eius modi, quantopere differat *παρά* a praepositionibus *ἐκ* et *ἀπό* finitimam notionem habentibus. Praepositio *ἐκ* locum declarat, ex quo quid movetur, ac docet quod dimoveatur id antea „in“ re fuisse. Si dixisset poeta *ἥκομεν ἐκ τῶν θεῶν*, legati *ἐν τοῖς θεοῖς* versati fuissent. quae dictio esset inepta. *Ἀπό* non ut *ἐκ* indicat, aliquid ex interioribus rei moveri, sed generaliter, rem e loco discedere vel amoveri, ita ut illud exemplum alium sensum praeberet, si dictum esset *ἀπὸ θεῶν* = a deis: eo indicatur, duas partes separari, quae inter se coniunctae erant. Aptius exemplum, quo significatio harum praepositionum magis illustretur, apud Arist. non legi. Sed iam clara esse res videtur. Cui non satis perspicua est, is comparet haec: *ἥκειν παρὰ νεῶν, ἐκ νεῶν, ἀπὸ νεῶν*. Haec vero discrimina non semper a Graecis observantur, quare facillime fit, ut particulae *παρά, ἐκ, ἀπό* inter se commutentur; de quo tamen infra. Ut omnia dilucide cognoscamus, semper ad primarium intellectum oculos animumque transferamus.

Genuina praepositionis significatio, quae ad locum pertinet, multis locis servata est. Cum plerumque ex verbis *παρά* pendeat, primo loco dicam de *παρά* cum genetivo casu e verbis suspenso. Et primum quidem occurrunt verba veniendi. Praeter illud supra commemoratum haec exempla mihi praesto sunt: *ἥκειν παρὰ τοῦ Διός* Nub. 1533; cf. Eccl. 522. Pl. 521. Hom. ***B*** 787 *ἦλθε πὰρ Διός*. ***O***, 131. ***Φ***, 444. *πέτεσθαι* Av. 1202, 1230. *ἀναπέτεσθαι* Av. 795. *εἰσπέτεσθαι* ib. 1172. *ἐξελθεῖν* Eccl. 48 *ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν πλειόνων* ib. 1073. Multo aliter usurpatum est *μετατρέχειν*; nam cum poeta Pac. 261 dicit *οὔκουν παρ' Ἀθηναίων σὺ μεταθρέξει ταχύ*; hoc non valet „currere ab Atheniensibus“, sed: „nonne celeriter curres, ut ab Ath. afferas . . ?“ Quae vox aeque construitur ac transitivum non rarum verbum *μεταπέμπειν*, quod exstat Vesp. 680.

Iam sequuntur loci, qui praepositionem *παρά* cum vorbis sumendi coniungi docent, quorum sicut apud alios scriptores ita apud Aristophanem maxime frequentatum est *λαμβάνειν*. Quod legimus Ach. 388. Eq. 959, 1190. Lys. 582, 1206. Ran. 251. Pl. 164, 829. Supplendum est Vesp. 785, et verbum compositum *παραλαμβάνειν* exstat Av. 1543. Ran. 939. Deinde hic apponam verbum accipiendi *δέχεσθαι* Lys. 603 et compositum *παραδέχεσθαι* Ran. 1013, unde formatum est *δωροδοκεῖν* Eq. 802, sed conferas Vesp. 670 *ἀπό τινος;* deinceps emendi verbum *πρίασθαι* Pl. 884, cui cognatum intellectum habet *δανείζεσθαι* Lys. 1056. Porro verba hanc significationem continentia affero *κλέπτειν* Pl. 358, *ἁρπάζειν* Eq. 802 (cum verbo *δωροδοκεῖν* coniunctum). ***Προσδοκᾶν*** Vesp. 56 et *ἐπιθυμεῖν* Nub. 412 notionem habent cupiendi. Quae dicendi ratio comparetur cum illa, quae apparet Ach. 107 ***προσδοκῶσι χρυσίον ἐκ τῶν βαρβάρων***. Proximum est, ut disseram de verbis dandi quae leguntur Eq. 869 ***διδόναι***

et Av. 608 *προστιθέναι.* Cum priore loco dicitur *ἔδωκας ἤδη τουτῳὶ κάττυμα παρὰ σεαυτοῦ;* non cogitandum est „a te“, sed potius „de tuo“ vel „de tuo sumptu“. Etiam alterum locum sic intellego: *Π. ἀλλὰ τριακόσι' αὐτοῖς ἔτι προσθήσουσ' ὄρνιθες ἔτη. Ε. παρὰ τοῦ; Π. παρὰ τοῦ; παρ' ἑαυτῶν.* Huc etiam locos referri posse constat, quibus praepositio pendet ex verbo *ἔχειν*, quod vides Nub. 459 *ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ κλέος οὐρανόμηκες ἕξεις:* recte Kockius *παρά* ad vocem *ἕξεις* apponi vult, non ad *μαθὼν*, ubi *παρὰ Σωκράτους* subaudit, atque *ἕξεις* nihil aliud est quam „acceptum habebis“. Pari modo *ἔχειν* constructum est Vesp. 102. Av. 1213 et *φέρειν* Frg. 90. Haud dissimilis est scribendi ratio quae legitur Av. 982 (*χρησμός*) *ὃν ἐγὼ παρὰ τἀπόλλωνος ἐξεγραψάμην*, quem versum ita transfero „(oraculum) quod ab Appolline acceptum inscripsi“. Vide Pac. 387 *εἴ τι κεχαρισμένον χοιρίδιον οἶσθα παρ' ἐμοῦγε κατεδηδοκώς* „a me acceptum edisti“. Verbis habendi annumerandum videtur *εἶναι* translato intellectu Nub. 431 *ἀλλ' ἔσται σοι τοῦτο παρ' ἡμῶν* „hoc tibi a nobis erit, a nobis habebis, hoc tibi a nobis dabitur; cf. Th. 183.

Transire licebit ad ea verba, quae ad animum pertinentia significationem habent accipiendi. *Μανθάνειν* invenimus Nub. 840, 886. Vesp. 1281. Av. 376, 378. Th. 22. *ἀκούειν* Av. 690. Ran. 895. *εἰδέναι* Av. 692. *πυνθάνεσθαι* ib. 47. Th. 4. Pl. 594.

Restat, ut proferam verbum dicendi, quod cum *παρά* et genetivo casu construitur Ach. 1057 *ἡ νυμφεύτρια δεῖται παρὰ τῆς νύμφης τί σοὶ λέξαι.*

Bis apud Arist. legimus, *παρά* cum gen. copulatum ex passivis verbis suspensum esse, non plane *ὑπό* particulae respondens neque id indicans, quod per aliquem fit, sed quod ab aliquo exit. Hic usus, cum apud optimos scriptores non frequens et satis artis finibus circumscriptus sit (cf. Soph. OC 1496 *τίς αὖ παρ' ὑμῶν κοινὸς ἠχεῖται*

κτύπος; Aesch. Prom. 637 *σοῦ διδαχθήτω πάρα.* Plat. Conv. 175, C. Rep. I, 332, B. Xen. Cyr. 1, 6, 2. 6, 1, 42), apud Arist. exstat Ach. 226 *παρ' ἐμοῦ πόλεμος αὔξεται* — comparo cum v. 529 *ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατερράγη Ἕλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν λαικαστριῶν* — et Lys. 613 *ἥξει παρ' ἡμῶν τὰ τρίτ' ἐπεσκευασμένα.*

Videmus igitur, plurimis locis *παρά* genetivo coniunctum e verbis pendere. Nonnunquam particulam legimus e substantivis esse suspensam, sed ubi hoc fit, fere semper verbi omissi notio potest subaudiri. Omissum est verbum veniendi Ach. 61 *πρέςβεις οἱ παρὰ βασιλέως.* ib. 134 *Θέωρος ὁ παρὰ Σιτάλκους.* Alia exempla sunt Vesp. 1160 *ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα.* Lys. 562 *λέκιθον παρὰ γραός.* Uno loco regitur praepositio nomine adiectivo: Pl. 532 *παρ' ἐμοῦ δ' ἔστιν ταῦτ' εὔπορα*, ubi vocabulum *εὔπορα* idem videtur valere quod *παρεσκευασμένα.* Tum pendet *παρά* ex articulo neutrius generis et numeri pluralis. Haec habes; *τὰ παρ' ὑμῶν* Lys. 243. *τὰ μὲν παρ' ἡμῶν* Th. 1170 „res a nobis gestae“. Sic Xen. Mem. 3, 11, 13 *δωροῖο τὰ παρὰ σεαυτῆς.* Cyr. 3, 2, 30 *τὰ παρὰ Κύρου* „Cyri mandata“. Herod. 8, 55 *λόγος παρὰ Ἀθηναίων.* Dem. Lpt. 75 *ὁ παρ' ἐμοῦ λόγος.*

Sequitur, ut disseram, quomodo *παρά* dativo additum a poeta usurpetur. In hac constructione praepositio principalem et accuratam notionem non retinuit, sed in eam deflexit, quae latius patet, in „apud“ particulae intellectum. Quare aliquid apud aliquam rem versari indicat maximeque verbis quiescendi apponitur. Adamasse videtur Arist. verba dormiendi cum *παρά* praepositione constructa. Saepius legis *καθεύδειν* Th. 419. Eccl. 710, 894, 938, 1039, 1050. *καταδαρθάνειν* Eccl. 628. *κοιμᾶσθαι* ib. 723. Saepe etiam apud verbum *εἶναι* praepositio *παρά* adhibetur vel supplendum est, quod verbum omnium ex quibus *παρά* c. dat. pendet verborum instar existimari possit; testimonia sunt

Nub. 112, 533. Vesp. 277. Av. 326, 603, 756, 758, 768. Lys. 174, 453, 854. Eccl. 689. Pl. 393, 559, 561, 1046. Frg. 198. Verbum subauditur Ach. 604, 903. Eq. 672. Nub. 903. Eccl. 697. Pl. 393; cf. Frg. 181, 362, 529. Eodem referenda καθέζεσθαι Vesp. 611. στῆναι Eccl. 682. ἐγκατακεῖσθαι Pl. 742. μένειν Av. 598, 1405. Pl. 112. κρεμήσεται Vesp. 808.

Raro verba movendi sic reperiuntur: πέτεσθαι Av. 167 et κατατίθεσθαι Pac. 1207, quae respondent Latinis „volare, deponere apud aliquem". Addo nonnulla verba vario sensu praedita, quibus indicatur omnibus, aliquid apud aliquem fieri, ita ut nullo modo notio localis excedatur. ᾄδειν Ach. 978. θεᾶσθαι Eq. 536. ὁρᾶν Nub. 766. πίνειν Vesp. 1197. λείχειν Pac. 854. ἐνέμετο πεδία Av. 330. χέζειν Pac. 165. καλεῖσθαι Vesp. 1089. Av. 761. φύειν Av. 765. παλεύειν ib. 1087. τιμὴν φέρειν ib. 1278. αἰσχύνειν φέρειν Eccl. 485. τυγχάνειν πολλοῦ ἐπαίνου Vesp. 1462. νομίζεσθαι ib. 1049. Lys. 11. ἔχειν Pl. 1120. μετέχειν Eccl. 582. ἐᾶν Pl. 589. τρέφεσθαι Ran. 910. δίκην ὀφλισκάνειν Eccl. 655 (quo loco notio „apud" transit in finitimam significationem „vor", cf. ib. 870). Ubique παρά cum dativo personae, apud quam quid fit, adhibitum est; ad res spectant Pac. 1298 παρὰ θάμνῳ κάλλιπον. Av. 728 καθεδούμεθ' ἄνω παρὰ ταῖς νεφέλαις. Ran. 1309 παρ' ἀενάοις θαλάσσας κύμασι στωμύλλετε.

Restat, ut de usu iam commemorato dicam, ex quo Arist. praepositioni articulum generis neutrius praeponit: Lys. 172 τά γε παρ' ἡμῖν. Pl. 1149 τὰ γὰρ παρ' ὑμῖν*).

Integram notionem localem παρά cum accusativo constructum non ita servavit, ut dativo appositum, quamquam longe plurimis locis hanc vim inesse perspicuum est. Atque

*) Permultis locis eorum, de quibus egimus, locutiones παρ' ἡμῖν, παρ' ἐμοί, similes occurrunt, qua ex re libenter poetam παρά cum pronominibus construxisse potest concludi. —

de hoc usu, cum latius pateat, primum dicam. Locali vi indicatur, aliquid moveri ad aliquem vel proprie ad latus alicuius, nonnunquam contra aliquem, qua in re usitatior est praepositio πρός. Ita παρά primum cum verbis veniendi copulatum legitur, cuius modi exempla haec sunt: παρελθεῖν Nub. 853. ἥκειν Av. 992, 1039. οἴχεσθαι ib. 1269. ἵστασθαι Eccl. 737. παρίστασθαι Ran. 1378. στῆναι Pac. 1269. Lys. 1122, 1275. συλλέγεσθαι Vesp. 1108. Verbum omissum est Eccl. 695 δεῦρο παρ' ἡμᾶς. Praeterea profero Av. 46 στόλος νῷν ἐστι παρὰ τὸν Τηρέα. Sequuntur verba agendi et mittendi πέμπειν Av. 844. ἄγειν Pac. 844. παραβάλλειν „prodere" Av. 333. Motum postremo etiam continet verbum ἐρείδεσθαι (παρὰ τὸν Ἀγυιᾶ) Th. 489.

Primaria et antiquissima praepositionis significatio, quae est „iuxta", intacta atque immutata retinetur primum apud verba movendi. Sic Pac. 726 παρὰ τὴν θεὸν καταβάς dicitur, qui iuxta deam descendit. Alia sunt: Vesp. 1083 στὰς ἀνὴρ παρ' ἄνδρα. ib. 1520 πηδᾶτε παρὰ ψάμαθον. Ran. 1068 παρὰ τοὺς ἰχθῦς ἀνέκυψεν. Porro reperitur verbum ἐλαύνειν Ach. 996. ἱδρύεσθαι Pl. 1153. τίθεσθαι Av. 631. κατατίθεσθαι ib. 401. Tum Doricum verbum ψιάδδειν pro ψιάζειν = „salire" Lys. 1302 et in eadem comoedia in v. 1309 ἀμπάλλειν pro ἀναπάλλειν. — Verba quiescendi deinde commemorare liceat. Qua in re quamquam cum „iuxta" significatio in particula inest et quasi emicat, tum verba cum praepositione sic usurpata sunt, ut motus qui praeierit cogitetur, tamen potuis dativum casum exspectamus. Nec vero Arist. hunc usum inde ab Homero haud inusitatum excessit. Sane non incertum est, dativum quidem ab Aristophane praeferri, nihilominus paene eadem ratione utrumque casum poni ex his apparet exemplis:

Pl. 742 οἱ δ' ἐγκατακείμενοι παρ' αὐτῷ.
Vesp. 611 καθεζομένη παρ' ἐμοί.

Eccl. 701 *δεῖ σε καθεύδειν παρ' ἐμοί.*
ib. 682 *στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ.*
Av. 598 *κοὐκ ἂν μείναιμι παρ' ὑμῖν.*
ib. 326 *εἰ παρ' ὑμῖν εἴμ' ἐγῴ.*
Pac. 165 *οὗτος ὁ χέζων παρὰ ταῖς πόρναις.*

Ach. 72 *παρὰ τὴν ἔπαλξιν κατακείμενος.*
Eccl. 617 *παρὰ τὰς σεμνὰς καθεδοῦνται.*
Av. 774 *ὄχθῳ ἐφεζόμενοι παρ' Ἕβρον ποταμόν.*
Vesp. 392 *παρὰ τὸν κλάοντα καθῆσθαι.*
Th. 1193 *τί οὐ κατεύδει παρ' ἐμέ;*
Lys. 634 *ἑστήξω παρ' αὐτόν.*
Ran. 194 *παρὰ τὸν Αὐαίνου λίθον* sc. *ἀναμενεῖς.*
Av. 145 *ἔστι πόλις παρὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν.*
Vesp. 394 *κοὐ μή ποτέ σου παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω.*

Conferas Hom. *Α*, 358 *ἡμένη παρὰ πατρὶ γέροντι.* *Δ*, 1 *πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι* — *Γ*, 406 *ἧσο παρ' αὐτόν.* *δ*, 51 *ἕζοντο παρ' Ἀτρεΐδην Μενέλαον.* *Μ*, 381 *κεῖται παρ' ἔπαλξιν.* *ν*, 408 *νέμονται πὰρ Κόρακος πέτρῃ* — *Μ*, 313 *νεμόμεσθα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας.*

Ad prolata accedunt verba *κάπτειν* (*ὀξυστόμους ἐμπίδας ἑλείας παρ' αὐλῶνας*) Av. 244. *οἰκεῖν* (*παρ' αὐτὴν τὴν ὁδόν*) Ran. 162. Deinde afferatur Ach. 759 *παρ' ἁμὲ πολυτίματος*, ubi *ἐστί* deest, quod verbum etiam subaudiendum est Nub. 326 *παρὰ τὴν εἴσοδον.* Lys. 835 *παρὰ τὸ τῆς Χλόης.* Eccl. 685 *ἐς τὴν παρὰ ταύτην.* Pl. 795 *παρὰ τὴν ἑστίαν* ex superioribus suppleas verbum *δέχεσθαι.*

Duo loci egent explicatione. Av. 388 sqq.:

καὶ τὸ δόρυ χρή, τὸν ὀβελίσκον,
περιπατεῖν ἔχοντας ἡμᾶς
τῶν ὅπλων ἐντός, παρ' αὐτὴν
τὴν χύτραν ἄκραν ὁρῶντας
ἐγγύς.

Vulgo legitur:

τῶν ὅπλων ἐντὸς παρὰ τὴν χύ-
τραν ἄκραν αὐτὴν ὁρῶντας.

Sed cum prioris versus corruptum videatur metrum, quod tertio loco dactylus exstat pro troch. vel tribrach., Brunck. ita emendavit:

τῶν ὅπλων ἐντὸς παρ' αὐτὴν
τὴν χύτραν, ἄκραν ὁρῶντας.

Haec etiam inveniuntur in cod. A. Sic Both. quoque scripsit eodemque modo distinxit, ut verbum *περιπατεῖν* quod praecedit cum praepositione construeret. Dicit enim: „*ἄκραν ὁρῶντας* summam ollam, quae illis pro clipeo est . .; ollam et catinos rursus deponi iubet et intra haec castra ambulari cum verubus ad ipsam ollam". Admovet hisce Eurip. Phoen. 1386 *ἀλλ' εὖ προσῆγον ἀσπίδων κεγχρώμασιν ὀφθαλμόν.* Hanc interpunctionem non probo, sed Bergkii et aliorum lectionem praefero; namque sensus est: „ad ipsam ollam extremam respicientes e propinquo" h. e. „ad extremam ollam prope observantes hostes, ne de improviso opprimamur". Extrema enim olla est respicienda ea de causa, quod isto loco hostes emergere possunt ibique primum apparent; et quo melius hostes aggredientes conspicere et ab iis sese possint defendere, *ἐγγύς* i. e. non longe ab olla remotis marginem valli huiusce iis respiciendum esse Peith. dicit. Si hoc modo interpretamur, loci difficultates, quas Kock. his versibus inesse putat, remotae videntur. Aliter haec Schol. accepit, qui dicit ad v. 388 sq.: „ . . *καὶ τὸν ὀβελίκον δέ, φησίν, ὅστις ἐστὶν ἡμῶν δόρυ, ἐντὸς τῶν ὅπλων χρὴ λοιπὸν ἔχειν. λέγει δὲ ἀντὶ τοῦ τῶν χυτρῶν. ἔθος δὲ εἶχον ἔσω τῶν ἀσπίδων ἔχειν τὰ δόρατα.*" Atque etiam ineptius ad v. 390 sq.: „*κέχρηται τῇ λέξει ἀντὶ τῶν ἱματίων, ὡσανεὶ εἶπε, καὶ ἔχειν τὸ δόρυ παρὰ τὴν ἀσπίδα· οὕτω γὰρ ποιοῦσιν οἱ πολέμιοι, τοῦ μὴ ἐξόπλους εἶναι, ἀλλὰ καθωπλίσθαι*". Ceterum non dubium

est, quin *τῶν ὅπλων ἐντὸς* significent, „intra castra", nam aliorum auctoritate haec nituntur; vid. Thuc. 1, 111 *καὶ τῆς γῆς ἐκράτουν ὅσα μὴ προϊόντες πόλυ τῶν ὅπλων* et 3, 1 similiter, ubi Schol. *ὅπλων* explicat per *ὁπλιτῶν*. Quare *ἐντὸς τῶν ὅπλων* vertenda sunt „intra armatos" vel „intra castra". Qui plura cupit, is conferat ea, quae Leutschius exposuit in Philol. II, 18 sq.

Alter locus exstat Av. 846 *οἴμωζε παρ' ἐμέ*. Schol.: „*παίζων τοῦτό φησιν, ἐπειδὴ εἶπεν αὐτῷ παρ' ἐμέ*". Recte Brunck.: „dixerat alter *κἀκεῖθεν αὖθις παρ' ἐμέ* id est *πρὸς ἐμέ*. Ultima verba repetit facetus Euelpides, sed alio sensu. Isti *παρ' ἐμέ* valet ‚mea causa', ut est apud Plaut. saepe (Epid. 5, 2, 14. Menaechm. 5, 1, 27)." Verto igitur: „tu plora mea causa", „tu per me licet plora". Pro salutandi formula *χαῖρε* comice ponitur a poeta *οἴμωζε*.

Inde a praepositionis ratione „iuxta" orta est significatio „praeter", quam per se variam ac multiplicem nos vertimus ex ordine sic: „neben — hin", „neben — vorbei", „ausser", „wider". Pauca huius usus exempla in Aristophanis comoediis inveniuntur. Haec sunt: Nub. 698 *οὐκ ἔστι παρὰ ταῦτ' ἄλλα* „non sunt alia praeter haec", quae dictio etiam legitur Vesp. 1166 et Pac. 110*). Tum Pac. 794 *παρ' ἐλπίδας* „praeter spem"; cf. Soph. Phil. 870. Ant. 388. Sic Hom. ξ, 509 *παρὰ μοῖραν*. Pind. Pyth. 8, 16 *παρ' αἶσαν*. ib. Ol. 2, 30 *παρὰ δίκην*. Thuc. 5, 90 *παρὰ τὸ δίκαιον*. ib. 6, 17 et Herod. 7, 103 *παρὰ φύσιν*. Saepius *παρὰ γνώμην*, ut Pind. Ol. 12, 14. Aesch. Ag. 931. Eur. Med. 577. Thuc. 6, 9. — Comparatio indicatur

*) Sic saepius apud Graecos post comparativum aut voces *ἄλλος*, *ἕτερος* non *ἤ* ponitur, ut vulgo, sed *παρά*; cf. Thuc. 4, 6 *χειμὼν μείζων παρὰ τὴν καθεστηκυῖαν ὥραν*. Plat. legg. III, 693, B *τί παρὰ ταῦτ' ἔδει πράττειν ἄλλο;* ib. Phaed. 80, B; 107, A. Crit. 54, D. Xen. Hell. 1, 5, 5. Dem. de cor. § 235. —

Th. 440 *εἰ λέγοι παρ' αὐτὴν Ξενοκλέης*, ubi notio „praeter" commutatur in „prae", et Pl. 445, ubi adverbialiter dicitur *παρὰ πολύ*. Non aegre feram, si quis priore loco interpretetur „dicere iuxta eam" h. e. „post eam", sed illud probabilius.

Commutationem expressam esse cognoscimus ex Ran. 643 *πληγὴν παρὰ πληγήν* „Schlag um Schlag", ut *ἓν παρ' ἕν* Plut. Consol. ad Apoll. 329.

§ 4.

π ε ρ ί.

Praepositionem *περί* (Kuehner. II, 291 sqq. Schmidt. 49 sqq.) invenimus centies duodenonagies, maxime cum genetivo, rarius cum accusativo neque amplius quinquies cum dativo coniunctam. Primaria vis est circumdandi aliquid, id quod ad primam antiquissimamque significationem, quae ad locum spectat, congruit.

Incipiamus a genetivo, quocum plerisque locis particula copulata est. Principalis vis circumdandi satis elucet ex locis qui sequuntur: *ὠστίζεσθαι περὶ πρώτου ξύλου* Ach. 45 et *περὶ τριηράρχου βοή* ib. 546, quibuscum compares Hom. ε, 130 *περὶ τρόπιος βεβαῶτα*, ib. 68 *αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο*. Eur. Troad. 824 *τείχη περὶ Δαρδανίας*. Plura exempla apud Arist. non legi, quibus localis illa vis per se illustretur; sed huic proxime accedit praepositionis significatio, cum legitur verbis pugnandi et defendendi addita eaque id, de quo pugna est, significatur. Haud discrepat a particula Latina „pro" h. e. „um", vel planius „zum Schutze", idemque valet quod *ὑπέρ* cum genetivo copulatum: ac profecto permultis locis poeta hanc praepositionem usurpat pro illa. Leguntur verba *μάχεσθαι* Eq. 767, 1038. Vesp. 191, 593, 667. Eccl. 621, 622. Pl. 1076. *διαμάχεσθαι* Eq. 339. *διαξιφίζεσθαι* ib. 781. *πολεμεῖν* Av. 1639. *διαγωνίζεσθαι* Ran. 793.

Neque aliter, si *περί* invenitur apud *διαφέρεσθαι* Lys. 1172. *κινδυνεύειν* Pl. 524. *ναυμαχεῖν* Ran. 191. Ex hoc usu profectum est quod dicitur Vesp. 375 *δραμεῖν τὸν περὶ ψυχῆς δρόμον* „den Wettlauf ums Leben bestehen", cf. Plat. Theaet. 173, A. Eodem duo loci referendi sunt, quibus praepositio pendet ex voce *ἀγών*: Nub. 958 et Vesp. 534; tum unus locus, quo *πόλεμος* occurrit: Frg. 238. Non multum hae locutiones abhorrent, ut vides, ab usu vulgari: maxime proprium poetae comici est illud *ναυμαχεῖν τὴν περὶ τῶν κρεῶν*. Graecis, cum de summa rerum certaminis capitisque periculi mentionem faciebant, praeter illud *τὸν περὶ ψυχῆς δρόμον δραμεῖν* hoc proverbium erat minus lepidum: *ὁ λαγὼς τὸν περὶ τῶν κρεῶν τρέχει*, de quo Zenob. 4, 85: „*ἐπὶ τῶν διακινδυνευόντων ταῖς ψυχαῖς καὶ πρὸς τοῦτο καρτερῶς ἀγωνιζομένων τασσομένη*". Hoc proverbium Aristophanem in animo habuisse satis apparet; cum vero simul ad proelium navale spectet apud Arginusas insulas commissum, hanc mixtam atque comicam locutionem usurpat: *τὴν περὶ τῶν κρεῶν* (*ναυμαχίαν*) *ναυμαχεῖν*, qua dicat, quanto de periculo ac discrimine rei publicae agatur: illa enim pugna est, quam Diod. 13, 99 *τὸν ὑπὲρ τῶν ὅλων ἀγῶνα* nominat. Quapropter, ut Schol. refert, servi convocati sunt, ut pugnae interessent, quique eorum fortem se esset praestiturus, ei libertatis promissum fiebat, qui ignavum, ei verbera imminebant aut supplicium. Itaque servi, sicut lepores pro carnibus currunt, pro libertate et anima fortiter pugnare enitebantur*).

Profero porro tres locos, ubi *περί* verbis metuendi additur, qui loquendi usus quamquam perrarus (cf. Plat. Prot. 320, A. Xen. An. 5, 5, 7), tamen vulgaris apud Arist. videtur fuisse: nam semel dativo casu utitur, id quod infra attingam. Huc pertinent Vesp. 1358. Eccl. 586. Pl. 199.

*) Cf. Bauck., De proverbiis etc. ap. Arist. Com. p. 25 sq.

Usitatissima praepositionis significatio respondet particulae Latinae „de": indicatur cura et studium alicuius rei, quo referendae sunt omnes eae dictiones, in quibus *περί* hominem vel rem significat, circa quam actio dicendi, iudicandi, constituendi versatur. Extant *λέγειν* Ach. 39, 499. Vesp. 343. Av. 23, 25, 1101, 1675. Eq. 931. Nub. 159. Th. 1102. *φράζειν* Eq. 514. Ran. 65. *ἀντιλογεῖν* Vesp. 546. *ἐρέσθαι* Pac. 105. *λαλεῖν* Lys. 627. *ἀγγέλλειν* ib. 1235. *γνώμην προτιθέναι* Eccl. 396. *οὐδεὶς λόγος περὶ ἐμοῦ* Ran. 87, 107, 115. *λόγος ἐμπίπτει περὶ ἀνδρῶν* Lys. 858. *μεταπείθειν* Ach. 627. *κλέος ἥκει* „fama venit, percrebruit" ib. 646. *θορυβεῖν* Eq. 666. *λοιδορεῖσθαι* Nub. 62. *στενολεσχεῖν* ib. 320. *ᾄδειν* Pac. 1303. *μαντεύεσθαι* Av. 596. *ἐπιγλωσσᾶσθαι* Lys. 37. *ὀμνύναι* ib. 190. *λόγον διδόναι* Pl. 467. *ἐλέγχειν* ib. 574. *περαίνειν* „explicare" ib. 563. Deinde *πρυτανεύειν* Ach. 60. *ἐκκλησίαν ποιεῖν* ib. 170. *διακρίνειν* Av. 719. *δικάζειν* Vesp. 767. *βουλεύεσθαι* Lys. 14. *ἐκκλησιάζειν* Th. 83. *χρηματίζειν* ib. 377. *γνώμην ἔχειν* Ran. 1422 (cf. 1424, 1426, 1436). *πρόκειται περὶ σωτηρίας* Eccl. 401. *οὐκ οἶσθ' ἐκεῖν' οὔδοξε, τὸ περὶ τῶν ἅλῶν*;

Simili ratione legitur *περί* apud *διδὰσκειν* Nub. 382. *προβάλλειν* ib. 490. *μανθάνειν* ib. 638, 639, 647, 681. Deinde paucis 'verbis, quae cum genetivo construi solent, Arist. praepositionem *περί* addit, ut *ἀκούειν περί Δαρείου τεθνεῶτος* Ran. 1028. cf. Av. 690; similiter Nub. 736 *περὶ τοῦ* verbo *φροντίζειν* omisso (vid. Herod. 8, 36 et *μερμηριζειν περί τινος* Hom. *Υ*, 17) et Lys. 502 *μέλει μοι περί τινος* (id. Aesch. Choeph. 769. Herod. 8, 19. Plat. Crat. 428, B). Neque aliter usurpatur verbum *ἀνιᾶσθαι*, vulgo cum dativo vel cum *ἐπί* et dativo coniunctum: sed Lys. 593 exstat *ἀνιῶμαι περί τῶν δὲ κορῶν*. Quibus adicio locutionem *περιδίδοσθαι*, quae iam apud Hom. *ψ*, 78. *Ψ*, 485 invenitur, velut nostrum „wetten um etwas", ibique genetivum secum habet; apud Arist. vero legimus *περί*

τινος Ach. 772.*) Eq. 791; aliis locis hoc verbum absolute ponitur, ut Ach. 1115. Nub. 644.

Tum praepositione qua de causa aliquid fiat exprimitur et significatur Latinum „quod attinet ad“ h. e. „in Betreff, in Rücksicht auf“. Eadem potestate etiam *περί* cum accusativo copulatum esse postea demonstrabo. Cuius generis haec exempla ascribo: Eq. 87 *περί πότου ἐστί σοι* ib. 126 *τὸν περὶ σαυτοῦ χρησμὸν ὀρρωδῶν* et similiter ib. 1005 *εἰσὶν δὲ περὶ τοῦ* sc. *χρησμοί*, cui loco in inferioribus adiunguntur quindecim similes locutiones; etiam Eq. 1063, 1086 vocabulum *χρησμός* cum *περί* constructum est. Deinde Eq. 1027. Vesp. 29, 559. Ran. 809. 953. Av. 1030. Lys. 1289. Th. 577. Eccl. 653. Pro substantivo, ex quo his locis praepositio pendet, legimus neutrum genus pronominis Av. 1631 *δοκεῖ δρᾶν ταῦτα τοῦ σκήπτρου πέρι* et articuli Lys. 932 *μή μ' ἐξαπατήσῃς τὰ περὶ τῶν διαλλαγῶν*. Plura mihi dicenda de Ran. 1052:

πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοῦτον περὶ τῆς Φαίδρας ξυνέθηκα;

Ad hunc locum annotat Velsenius in Philol. XX, 363 sq., non iure Phaedram hic commemorari propterea quod ante de Stheneboea dictum sit et ex toto loci sensu eluceat, hanc vituperari, non Phaedram. Aeschylus scilicet dicit in v. 1043: *ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας* et Euripides interrogat in v. 1049: *καὶ τί βλάπτουσ', ὦ σχέτλι' ἀνδρῶν, τὴν πόλιν ἁμαὶ Σθενέβοιαι;* Tum v. 1051, qui Bellerophontem nominat, sine dubio respicit Stheneboeam, ut etiam Schol.: „*κώνεια πίνειν* . . *πολλαὶ γὰρ Σθενέβοιαν μιμησάμεναι πιοῦσαι κώνειον ἐτελεύτησαν*“. Hunc versum sequitur ille, de quo agimus. Difficultatem in hoc versu inesse non nego; sed poeta illis nominibus promiscue utitur, cum de utraque muliere idem valeat. Narrant poetae (cf. Appollod. 2, 3 Hyg. fab. 57), Stheneboeam, cum Bellerophonti non potuisset persuadere, ut ipsam amaret, accusavisse eum, quasi vi ab eo stuprata esset, ac deinde, cum ille innocens esset inventus, cicutam bibisse; Phaedram autem se ipsam suspendisse, Hippolyto privigno frustra ad concubitum impulso. Aristophanes ipse nonne eas *πόρνας* appellat? Ac quid plurali numero *ἁμαὶ Σθενέβοιαι* exprimitur nisi Stheneboea simulque Phaedra? Sic cogitanti versus non iam obscurus erit, quamquam profiteor, altero nomine posito multo dilucidiorem eum fore. Velsen. versum depravatum habens ita emendat:

*) Bergk. legit *περίδου μοι περὶ θυμιτιδᾶν ἁλῶν*, Invern. *περὶ θυμητίδαν ἁλῶν* (ut Rav.), Dind. *θυμητιδᾶν*. Ex versu inferiore 1099 *ἅλας θυμίτας οἶσε* emendavit hunc versum et scripsit *περί θυμιτᾶν ἁλῶν* Kuesterus, quem Brunckius aliique sunt secuti. —

πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοῦτον καὶ τὸν Φαίδρας ξυνέθηκα;

Mihi quidem non in nomine Phaedrae, sed in vocabulis *λόγον τοῦτον* difficultas videtur esse maxima; nam cum *λόγος οὗτος* nihil esse possit nisi fabula quae praecedit de Stheneb., merito Phaedra commemorata reprehenditur. At mihi displicet emendatio quam Velsen. offert: non recte est dicere *λόγον τοῦτον καὶ τὸν Φαίδρας*, cum per syntaxin postuletur, ut dicas *καὶ τὸν περὶ Φαίδρας*, id quod cum metro non congruit. Quamobrem egomet sic conicio:

πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοῦτον καὶ περὶ Φαίδρας ξυνέθηκα;

Restat, ut verba mittendi et proficiscendi commemoremus, quibus *περί* apponitur: Pac. 26 *ἐλθεῖν εἰρήνης πέρι*. Eq. 669, 671 *ἀφικνεῖσθαι περὶ σπονδῶν* (aliter Lys. 513 *περὶ τῶν σπονδῶν ἐν τῇ στήλῃ παραγράψαι*, quo loco *τί* praecedens cum praepositione construendum est; vid. supra). Av. 1532 *ἥκειν περὶ διαλλαγῶν*, cf. 1588, 1595. Lys. 71, 984, 1009, 1101. Av. 1577 *ᾑρήμεσθα περὶ διαλλαγῶν πρέσβεις*. Huc etiam pertinent verbum movendi *ἕλκειν*, cuius passivum legitur Nub. 1004 *οὐδ' ἑλκόμενος περὶ πραγματίου*.

Duo denique loci digni sunt quorum mentio fiat:

Eq. 809 ὀνειροπολεῖς περὶ σαυτοῦ „somnias de te" h. e. „refers oracula ficta, quae attinent ad te". Nub. 739 περὶ τῶν τόκων, ὅπως ἂν ἀποδῶ μηδενί, ubi post τόκων sine dubio ex versibus quae praecedunt intellegenda sunt ἐξευρεῖν τι βούλομαι, ut locum ita interpreter: „quod ad usuras attinet, aliquid reperire volo, quomodo nemini reddam".

De casu dativo apud Aristophanem haud frequenti paucis absolvam. Cognoscimus localem praepositionis vim primum ex Eq. 1039 περὶ σκύμνοισι βεβηκώς, id quod Schol. interpretatur „ὡς λέων ὑπερμαχῶν σκύμνων" (veluti catulos suos defendens), ita περιβαίνειν et ἀμφιβαίνειν apud Homerum reperiuntur, cf *P*, 6 ὡς περὶ Πατρόκλῳ βαῖνε. Praepositionem περί per tmesin a verbo βεβηκώς ut saepius apud Hom. abscissam esse non puto. Tum vide Ran. 329 περὶ κρατὶ σῷ βρύοντα στέφανον τινάσσων, ut περὶ στήθεσσιν (*B*, 146 al.), περὶ χροΐ (*Θ*, 43 al.), περὶ κροτάφοισι (*O*, 648). Locus qui sequitur Lys. 1073 ὥσπερ χοιροκομεῖον περὶ τοῖς μηροῖσιν ἔχοντες a ceteris verbo distinguitur, quod non ad motum, sed ad quietem spectat. Huic ordini addo quartum exemplum Pac. 904 περὶ ταῖσι καμπαῖς ἡνίοχοι πεπτωκότες, quae loquendi ratio non usitata est. Plane notionem circumdandi praebent Hom. *Θ*, 86 κυλινδόμενος περὶ χαλκῷ. *N*, 570 περὶ δουρὶ ἤσπαιρε. Soph. Ai. 828 πεπτῶτα τῷδε περὶ νεορράντῳ ξίφει: hoc autem loco haec significatio recedere videtur atque loci vicinitas, et incerta quidem, indicatur, ut apud nos dicitur: „bei", „in der Nähe". Semel apud verbum timendi περὶ legitur cum dativo constructum: Eq. 27 δέδοικα περὶ τῷ δέρματι, saepius apud Hom. et alios: *I*, 433 περὶ γὰρ δίε νηυσὶν Ἀχαιῶν *E*, 566. *K*, 240. Herod. 3, 45. Thuc. 4, 123.

Quartus casus, qui occurrit quadragies sexies, saepius quam genetivus locum significat, circa quem quid versatur, primum apud verba movendi, deinde multo crebrius apud

verba quiescendi. Praeter circumdandi notionem cognosces nonnunquam intellectum vicinitatis, quo id modo exprimitur, quod prope locum fit. Legimus Pac. 1006 περί ταύτας ἡμᾶς ἀθρόους ὀψωνοῦντας τυρβάζεσθαι cum insequenti dativo sicut Ach. 844 ὠστίζεσθαι (οὐδ' ὠστιεῖ Κλεωνύμῳ), utroque loco de turba obsonandi causa in foro versantium; cf. Ach. 28 ὠστιοῦνται περὶ πρώτου ξύλου. Tum Ach. 96 κάμπτειν περὶ ἄκραν. ib. 998 ἐλαύνειν περὶ τὸ χωρίον. ib. 1180 περὶ λίθον πίπτειν tamquam circum lapidum, ut lapis corpore tegatur; audacius hoc dictum est, quod ex toto versu satis perspicuum est, non totum corpus, sed caput elidi, et quis est qui dicat, caput cecidisse circa saxum? Quare sic interpretandum existimo: „caput discussit in saxum cadens"; ob eam enim rem praepositio περί posita est, ut tactus clarius indicetur. Deinde affero πέτεσθαι περὶ τὴν κλεψύδραν Vesp. 93 ac pariter, participio πετόμενε vel πετώμενε ex loci sensu subaudito, Eq. 402. Similiter Pac. 1756 τροφεῖ πνεῦμα περὶ τὸν ὄμφαλον. Lys. 979 περιβαίνειν περὶ τὴν ψωλήν. Th. 796 περινοστεῖν περὶ τὰς κλίνας. Vesp. 1034 λιχμᾶσθαι περὶ τὴν κεφαλήν (cf. Pac. 757). Eccl. 1110 μολυβδοχεῖν κύκλῳ περὶ τὰ σφυρά „plumbum fundere circum talos". Pl. 1131 ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικέ τις στρέφειν. Hic locus non satis expressus proprie sic transfertur: „dolor aliquis te circa (= in) viscera videtur convertere" sive „in visceribus torquere"; praepositio enim ut supra imprimis viciniam tactumque explanans nihil aliud significat quam Latinum vocabulum „in". Vulgatae editiones (cf. Invern., Bekk., Dind.) habent

ὀδύνη σε πρὸς τὰ σπλάγχν' ἔοικ' ἐπιστρέφειν.

Ad tormina ventris, quos στρόφους appellant medici, respicit poeta; cf. Th. 484 στρόφος μ' ἔχει τὴν γαστέρ', ὦνερ, κὠδύνη, quo loco στρόφος et ὀδύνη collocantur. Etiam Both. habet lectionem πρὸς τ. σπ. et commentatur: „Dolorem vel στρόφους, tormina, dicit (Carion servus), quae

sentire ei videtur Mercurius; vel ὀδύνη significat famem, qua cruciatum deum ad exta victimarum, quae nunc cum maxime Pluto immolantur intus in domo Chremyli, converti ait servulus, eaque de longinquo appetere". Bene haec explicata sunt: fame enim tantopere cruciatur, ut incipiat torminibus laborare. Tamen Bergkii lectionem laudo neque locum mutandum puto, cum praepositio περί optime usurpata sit, ut demonstravi. Ceterum haec praepositio aptior mihi videtur esse ad exprimendos illos intestinorum motus, quam πρός particula. Hanc locutionis formulam Graecis non alienam fuisse, cognosci potest ex hoc exemplo: στρέφει με περὶ τὴν γαστέρα Antiph. com. ap. Athen. III, 123, b. Iam vero verbum in aliis editionibus usurpatum ἐπιστρέφειν haudquaquam ad hanc sententiam convenit, quod nusquam ei vis torquendi ventris inest apud veteres. Non modo Hemsterh. ad h. l. sic iudicat, sed etiam H. Stephanus in Thes. L. G. hoc unum exemplum profert annotans: „pro torqueo affertur ex Arist. Pluto ὀδύνη σε etc." Quare Hemsterh. legi vult ἔτι στρέφειν. Nec recte Fischer., qui verbum ἐπιστρέφειν defendens verba ex ἐπί composita saepe poni dicit pro simplicibus, sed cum argumenti causa nihil afferat nisi unum ἐπιθύειν (Pl. 1116, pro quo Bergk. ἔτι θύειν legit), quae vox minime idem est ac Latinum „sacrificare", sed „sacrificare in aliqua re" h. e. „in ara", nihil dixit. Quam ob rem illud Hemsterhusii ἔοικ' ἔτι στρέφειν vel hoc Bergkii ἔοικέ τις στρέφειν melius est quam ἐπιστρέφειν. Quamquam et haec non omnino probo; minus enim vocula ἔτι sensui loci huius respondet et pronomen τίς minus distinctum est, cum non ‚aliquis' dolor Mercurium vexet. Credo potius poetam scripsisse:

ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικ' ἤ δ η στρέφειν.

Venio nunc ad verba quiescendi ac versandi; spectandi sunt hi loci: Ach. 97 ἄσκωμα ἔχειν περὶ τὸν ὀφθαλμόν. ib. 439 πελίδιον περὶ κεφαλήν; vid. ib. 693, 1177.

Nub. 97, 509. Pac. 731. Lys. 17, 531. Th. 256, 1188. Ran. 1266. Pl. 750 (cf. Vesp. 1302), 939. Adicio Th. 999 κισσὸς θάλλει περί σε. Pl. 538 βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλήν.

Aeque ac genetivo huic casui notio inest „quod attinet ad". Quod vides ex Ach. 663 περὶ τὴν πόλιν ὢν δειλός aut ib. 696 περὶ τὴν πόλιν ἀγαθὸς ἀνήρ et saepius apud nomen adiectivum cf. Eq. 764, 812, 831, 873, 1208. Pl. 568. Porro vide Nub. 994 σκαιουργεῖν περὶ τοὺς γονέας. Th. 307 τὰ βέλτιστα ἀγορεύειν περὶ τὸν δῆμον. Ran. 458.

Uno loco etiam tempus indicatur: Vesp. 31 περὶ πρῶτον ὕπνον „primo somno"; cf. Thuc. 3, 89 περὶ τούτους τοὺς χρόνους. Xen. An. 1, 7, 1 περὶ μέσας νύκτας.

§ 5.

ὑ π ό.

Centum septuaginta octo locis praepositionem ὑπό (Kuehner. II, 308 sqq. Schmidt. 75 sqq.) Arist. usurpat ac plerumque cum genetivo casu, novies cum dativo, undecies cum accusativo copulat. Nec longe recedit in usu a ceteris poeta nisi in eo, quod maxime genetivum, rarissime ceteros casus ascivit. De forma notandum est, bis eum ὑπαί dixisse: Ach. 970 et Av. 1426.

Ac primum genetivo addita particula raro propriam vim h. e. localem servat, quae ad locum spectat, sub quo versatur aliquid vel fit. Hoc unum exemplum habes: Lys. 985 ὑπὸ μάλης δόρυ ἔχειν, cf. Plat. Gorg. 469, D. Xen. Hell. 2, 3, 23. Altero exemplo ea localis potestas illustratur, quam praepositio habet cum verbo submovendi sub aliquem locum coniuncta: Vesp. 206 ὑποδύεσθαι ὑπὸ τῶν κεραμίδων, cf. Hom. λ, 62 ὑπὸ χθονὸς ἐτέθαπτο. Aesch. Spt. 570.

Notissimus autem usus particulae est, si quis significatur, cuius a parte actio aliqua proficiscitur, quare ὑπό

cum verbis passivis et iis intransitivis, quae idem valent, constructum videmus. Ordiar a verbis passivis quae haec sunt: *ἐξαπατᾶσθαι* Ach. 114. Eq. 1103. *πορθεῖσθαι* Ach. 164. *διώκεσθαι* ib. 216, 700. *διαβάλλεσθαι* ib. 630. *γηροβοσκεῖσθαι* ib. 678. *καταγελᾶσθαι* ib. 680. Vesp. 516. *κυκᾶσθαι* Ach. 707. *φαντάζεσθαι* ib. 824. *σελαγεῖσθαι* ib. 925. *τύπτεσθαι* ib 1192*). Eq. 257, 713. Nub. 1341. *μάττεσθαι* Eq. 57. *πατεῖσθαι* ib. 70. *ἀπόλλυσθαι* ib. 139. Nub. 948**). Lys. 760. Eccl. 1079. *γαστρίζεσθαι* Eq. 273. *καταγλωττίζεσθαι* ib. 352. *μυστιλᾶσθαι* ib. 1169. *ἡττᾶσθαι* ib. 1230. Nub. 524. *σήπεσθαι* Eq. 1308. *ἀφαιρεῖσθαι* Nub. 170, 624. *παραιάττεσθαι* ib. 213. *ἄγεσθαι, φέρεσθαι, ἐνεχυράζεσθαι* ib. 240 (haec tria verba sequitur *ὑπὸ γὰρ τόκων χρήστων τε*, praeterea res ac persona permiscentur). *παρακόπτεσθαι* ib. 640. *περιλείπεσθαι* ib. 725. *κεντεῖσθαι* ib. 947. *βάλλεσθαι* ib. 997. *τηρεῖσθαι* Vesp. 320. *χειροῦσθαι* ib. 439. *ἐγκυκλεῖσθαι* ib. 699. *ἀμαλδύνεσθαι* Pac. 380. *λαμβάνεσθαι* ib. 449. Frg. 116. *τίλλεσθαι* Av. 285. *διαφορεῖσθαι* ib. 338, 355 (verbum simplex Lys. 897). *παραλείπεσθαι* ib. 456. *συλλαμβάνεσθαι* ib. 1086. *πλήττεσθαι* ib. 1299, 1492. Ran. 1214. *πτεροῦσθαι* ib. 1383. *μετεωρίζεσθαι* ib. 1447 (*ὑπὸ γὰρ λόγων* = *λόγοις*, vid. sup. Vesp. 1192). *ἀναζητεῖσθαι* Lys. 26. *ἐμπίπρασθαι* ib. 325. *ἀποκλείεσθαι* ib. 423. *διαλύεσθαι* ib. 655. *κατακόπτεσθαι* ib. 730. *φιλεῖσθαι* ib. 871. *ξυνομώμοται* ib. 1008. *προπηλακίζεσθαι* Th. 386. *σποδεῖσθαι* ib. 491. *ληκεῖσθαι*ib. 493. *φέρεσθαι* Ran. 29. *φενακίζεσθαι* ib. 921. *λέγεσθαι* ib. 1244 (*τῆς ἀληθείας ὕπο*, cf. Av. 456). *ἕλκεσθαι* Eccl. 1055***).

*) Hoc loco, sicuti Ran. 1214, Av. 1487, res pro persona ponitur, ubi usitatior est dativus instrumentalis. —

**) *ὑπὸ τῶν γνωμῶν*, nam sententiae quasi animatae a poeta cogitatae sunt; cf. *ὑπ' ἐμῆς φρενὸς ἀξυνέτου παραλειπομένην* Av. 456. —

***) Av. 808 animo cogitandum est *ἁλίσκεσθαι*, versus enim verbo *ἁλισκόμεθα* omisso ex Aesch. Frg. 123 petitus est. —

Progredior ad verba intransitiva, quorum saepius apparet *πάσχειν* Ach. 168, 377. Lys. 1041, 1145, 1146. Eccl. 1106. Pl. 1029. Alia *ἀκούειν ταυτί* Eq. 820. *ἄριστ' ἀκούειν* Nub. 528. *κακὸν ἀκούειν* Th. 1162, velut Latine dicitur „bene, male, audire". *πλέων γίγνομαι* Eq. 630. *εὐδαιμονεῖν* Eq. 1163. *δίκην διδόναι* Th. 543.

Proximum usum statuo, ubi res vel notiones abstractae, ut ita dicam, significantur, quibuscum actio coniungitur vel quarum ope actio fit: ponitur Latine „prae", Germanice „vor", „aus", „über", unde sequitur, ut principalis significatio paene interierit. Hunc usum cognoscere licet ex Ach. 18 *ἐδήχθην ὑπὸ κονίας τὰς ὀφρῦς*, quo loco vocabulum *δάκνεσθαι* translatum sensum habet et Both. explicat: „hoc dicere videtur Dicaeop., se nunquam, ex quo se abluere soleat, ita contraxisse supercilia velut morsa, h. e. adeo iratum fuisse, quam hodie, quod se mane abluerit lixivio, ut in concionem eat, quoniam neminem adesse videat civium: nunquam antea, inquit, lixivium sic mihi momordit supercilia h. e. nunquam magis paenituit, me lixivium meum profudisse". Aeque figurate dictum est Nub. 13 *δακνόμενος ὑπὸ τῆς δαπάνης καὶ τῆς φάτνης καὶ τῶν χρεῶν*, ubi *ὑπὸ τῶν κόρεων* exspectamus, quia praecedunt *οὐ δύναμαι δείλαιος εὕδειν*, sed comice alia substituta sunt; cf. Schol.: *ἐνοχλούμενος ὑπὸ τῶν τῆς ἱπποτροφίας ἀναλωμάτων*". Tum vero huc spectant Ach. 615 *ὑπ' ἐράνου τε καὶ χρεῶν παραινεῖν*. ib. 689 *ὑπὸ γήρως μασταρύζειν*. ib. 350 *ὑπὸ τοῦ δέους*, vid. ib. 581. Eq. 231. Pac. 933. Av. 97. Eccl. 1062. Pl. 693. Eq. 515 *ὑπ' ἀνοίας*. Av. 577 *ὑπ' ἀγνοίας*. Eq. 719 *ὑπό γε δεξιότητος*. ib. 804 *ὑπ' ἀνάγκης*, vid. Nub. 405. Hom. *β*, 110. Soph. Phil. 215 al. Similiter *ὑπὸ βίας* Nub. 164. *ὑπὸ δυσκολίας* Vesp. 106. *ὑφ' ἡδονῆς* ib. 272. Pac. 324. Av. 1284. Pl. 289, 739, 753; cf. Soph. Ant. 644. Ai. 382. *ὑπ' ὀργῆς* Vesp. 1083. Pac. 613. Lys. 505, 1023. Ran. 855; cf. Eur. Iph. Aul. 235. *ὑπὸ μίσους* Lys.

792, 814. *ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ* Pac. 483. Pl. 1174. Haec hactenus; plura exempla vides Eq. 803. Nub. 407, 835, 855. Vesp. 94, 1045, 1084, 1487. Pac. 25, 415. Av. 104, 296 (ubi non re, sed animantibus, *ὑπ' αὐτῶν πετομένων*, actio efficitur et causa indicatur), 475, 489, 735, 1129, 1300. Lys. 3, 270, 324, 328, 508, 988. Th. 281. Ran. 349, 816, 919, 940, 1088, 1280. Pl. 307, 311, 538, 818, 1005, 1034, 1083, 1174. In his difficiliorem praepositionis usum animadverte Pl. 1052 sq.:

οὐκ ἂν διαλεχθείην διεσπλεκωμένῃ
ὑπὸ μυρίων ἐτῶν τε καὶ τρισχιλίων,

ubi usitatior est particula *ἐκ* aut pro *ἐτῶν* vocabulum *ἀνδρῶν*, ut Schol.: „*δέον εἰπεῖν ἀνδρῶν*“.

Quo ex usu ortum est quod legitur Ach. 970 *εἴσειμ' ὑπαὶ πτερύγων κιχλᾶν καὶ κοψίχων*. Hanc formam, quae apud Atticos scriptores rarissima est, codd. imprimis Rav. hoc loco et Av. 1426 dant, quare quin sic scribatur nihil impedit, praesertim cum illud ex cantico per id tempus noto petitum Schol. referat: *ἀντὶ τοῦ μετὰ πτερύγων καὶ κιχλῶν καὶ κοψίχων· μιμεῖται δὲ τὸ μέλος*“. De usu satis erit commemorare, praepositione non causam actionis alicuius exprimi, sed res significari, quibuscum actio coniuncta sit, neque aliter fieri, quam si res illae actionem quasi comitentur. Apte conferas cum his Av. 1069 sq.:

ἕρπετά τε καὶ δάκετα πάνθ' ὅσαπερ
ἔστιν ὑπ' ἐμᾶς πτέρυγος ἐν φοναῖς ὄλλυται,

ubi particula eandem vim ascivisse videtur, quam illic habet. Kock. negat locutionem *ὑπ' ἐμᾶς πτέρυγος* cum alterutro verbo construi posse et *ἐπ' ἐμ. π.* conicit vertens: „im Bereich meines Flügels“. Quamquam is sensus non malus est, tamen non probo: primum illud *τὰ ἐπὶ Θρᾴκης*, quod exemplum Kock. admovet, multo aliter se habet, sed praecipue aliquid mutari supervacaneum est, quod haec locutio per se intellegitur: signi-

ficat enim comitatum, ut versus sic interpreter: „serpentia et mordentia omnia quaecunque adsunt necibus intereunt sub mea ala“ h. e. „ala prosequente“ vel „quando volo“, „quando volans capio“. Dicat quis, instrumentalem vim praepositioni inesse: quod non plane repudio, sed haec interpretatio magis mihi placet; cf. Hom. *Δ*, 476 *ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς*. *Σ*, 492; *τ*, 48 *δαΐδων ὕπο λαμπομενάων*. — Non praetereo Ach. 1001 *ὑπὸ τῆς σάλπιγγος πίνειν*, ut Herod. 1, 17 *ὑπὸ συρίγγων στρατεύεσθαι*. Eur. Bacch. 156 *ὑπὸ τυμπάνων*. Thuc. 5, 70 *ὑπ' αὐλητῶν*. Xen. Hell. 2, 2, 23 *ὑπ' αὐλητρίδων*. Denique rarissimum est Th. 1030 *ὑφ' ἡλίκων νεανίδων ἕστηκα* pro *μεθ' ἡλ. ν.* aut *σὺν ἥλιξι νεάνισιν*.

Iam pervenimns ad dativum casum, quem haud frequenter legi. Ubique praepositio localem notionem servat atque locum indicat, sub quo quid versatur vel fit. Haec exempla occurrunt: Nub. 1005 *ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξει*. Vesp. 108 *ὑπὸ τοῖς ὄνυξι κηρὸν ἀναπεπλασμένος*. ib. 386 *ὑπὸ τοῖσι δρυφάκτοις θεῖναι*. Ach. 615 *ὑπὸ θάμνοις καὶ πρινιδίοις οἰκήσουσιν*. Cf. Hom. *E*, 693 *εἷσαν ὑπ' αἰγιόχοιο Διὸς περικαλλέϊ φηγῷ*. *Σ*. 558 *ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο*. Soph. Phil. 286 *ὑπὸ στέγῃ*. ib. Ai. 754 *εἶρξαι Αἴανθ' ὑπὸ σκηναῖσι*. Vid. ex Arist. etiam Av. 1608. Th. 528, 562. Eccl. 184. Frg. 145.

Perpaucis postremo accusativum attingam. Localem vim, ex qua locus significatur, sub quem proficiscitur aliquid, cognoscimus Nub. 192 *οὗτοι δ' ἐρεβοδιφῶσιν ὑπὸ τὸν Τάρταρον*. ib. 1300 *κεντῶν ὑπὸ τὸν πρωκτόν*. Pac. 199 *ὑπ' αὐτὸν τοὐρανοῦ κύτταρον* sc. *ἐξῳκισμένοι εἰσίν*. ib. 722 *ὑφ' ἅρματ' ἐλθών*. Lys. 428. Th. 133. Pl. 735. Hoc modo Hom. *λ*, 253 *ὑπὸ πόντον ἐδύσετο*. *ν*, 81 *γαῖαν ὕπο στυγερὴν ἀφικοίμην*. *E*, 731 *ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν Ἥρη ἵππους*. Aesch. Prom. 463 *ὑφ' ἅρματ' ἤγαγον ἵππους*. Pind. Pyth. 9, 81 *κρύψαν ὑπὸ γᾶν*.

Translato sensu Th. 500 *γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον ὑπ' αὐγὰς οἷόν ἐστιν* sicut *ὑπ' αὐγὰς ἰδεῖν* Plat. Phaedr. 268, A. Temporalis usus duo exempla sunt: Ach. 139 *ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον* (cf. Thuc. 1, 27 *ὑπὸ τοὺς αὐτούς χρόνους*) et ib. 1076 *ὑπὸ τοὺς Χόας γὰρ καὶ Χύτρους*, ubi Latine „sub" dlcitur. Adverbialiter utitur poeta Vesp. 1290 *ὑπό τι*, ut Attici saepius (cf. Plat. Gorg. 493, C. Phaedr. 242, D) = „aliquatenus".

§ 6.

μ ε τ ά.

Μετά (Kuehner. II, 300 sqq.) centies sedecies exstat; genetivum poeta maxime amat, minus accusativum, bis dativo utitur.

Genetivus ubique notionem societatis et hominum et rerum tenet. Ab hoc communi usu non remoti sunt loci qui sequuntur: *πίνειν μετὰ Σιτάλκους* Ach. 141; cf. Eq. 1289. Vesp. 1269. Pac. 1132, 1156. *θύειν μετὰ τῶν οἰκετῶν* Ach. 249 *κἀγὼ μετ' αὐτῶν χὠ θεὸς ξυλλήψεται* Eq. 229 et sic saepius apud verba et nomina cum praepositione *σύν* composita, ut Ach. 277 *συμπίνειν*. ib. 661 *ξύμμαχος*. Eq. 597 *ξυνδιαφέρειν*. Nub. 475 *συμβουλεύεσθαι*. Pac. 816 *ξυμπαίζειν* (verbum simplex vid. Av. 660. Ran. 414*). ib. 1116 *συσπλαγχνεύειν*. Lys. 438 *ξυναρπάζειν*. ib. 1221 *συνταλαιπωρεῖν*. Th. 432 *συγγράφεσθαι*. Ran. 782 *σύμμαχος*. Eccl. 1095 *συνεισπίπτειν*. Pl. 504 *συνεῖναι*. Nemo

*) Hic Dindorfius, postquam iam Beck. et Welcker. hoc loco glossema viderunt, vocabula *μετ' αὐτῆς* delenda esse censet, ut iambicus senarius similis legatur praecedenti et sequenti. Sed cur haec emendatio? Verba *μετ' αὐτῆς* non inutilia videntur et quod attinet ad metrum versuum disparem, nihil impedit, quominus tres syllabas in fine versus sequentis excidisse putemus. —

erit, qui dubitet, quin de industria poeta haec verba composita coniunxerit cum praepositione *μετά*; nec minus utitur verbis cum *κατά* compositis, ut haec exempla docent: Ach. 1148 *ακθεύδειν μετὰ παιδίσκης ὡραιοτάτης*. Eq. 771 *κατακνησθείην μετὰ τυροῦ*. Pac. 1330 *κατακεῖσθαι*. Av. 196 *κατοικίζειν*. Lys. 112 *καταλύειν*. ib. 904 *κατακλίνεσθαι*. Pl. 383 *καθέζεσθαι*. — Nec nimis diversa a vulgari usu sunt haec: Nub. 461 *βίον διάγειν μετ' ἐμοῦ*. Av. 753 *διαπλέκειν* (sc. *τὸν βίον*) *μετ' ὀρνίθων*. ib. 155 *ὁ μετ' ὀρνίθων βίος*. ib. 54 *ἀστοὶ μετ' ἀστῶν*. ib. 1428 *ἀναχωρεῖν μετὰ τῶν γεράνων*. Vesp. 349 *περιελθεῖν μετὰ χοιρίνης*. Nub. 1006. Vesp. 692, 786, 788, 1004. Av. 658. Pac. 116, 775, 784. Lys. 480. De hoc satis*). Neque alius sensus est in Eccl. 964 *ἔν τῷ σῷ βούλομαι κόλπῳ πληκτίζεσθαι μετὰ τῆς σῆς πυγῆς*. H. Steph. verbum activum *πληκτίζειν* per „puugere" exponit; Invern. formam *πληκτίζεσθαι* interpretatur per *διατύπτεσθαι*; apud Hesych. exponitur *μάχεσθαι, ὑβρίζειν* (i. e. lascivire, sicut *ὑβριστής* nonnunquam idem est quod lascivus, cf. Nub. 1068). Nec difficilis est hic locus, si hanc quoque praepositionem proprio sensu accipimus, quare Bothio non assentior, qui *μετά* instrumentum significare vult: primum talis praepositionis usus perrarus est neque usquam apud Arist. invenitur, tum nihil nos cogit, locum de quo agitur sic intellegere. Optime perspicitur, si vertimus „lascive agere, ludere (h. e. „ein wollüstiges Spiel treiben") cum natibus"; qua in re non tam alias corporis partes quam manum solam adhiberi arbitror, qua nates illius iuvenis pulsare vult, ita ut nates sint instrumentum, manus autem quasi plectrum, quo illud pulsatur. Sed proprie nihil aliud dicitur quam: „ego

*) Qui plura desiderat, legat Eq. 590. Vesp. 320, 1247. Pac. 765. Av. 739, 1672, 1686, 1692. Lys. 141, 349, 544. Ran. 697, 1196. Eccl. 123, 243, 543, 849, 1066, 1143. Pl. 54, 175, 231, 564, 614, 823. 843. Frg. 50, 245. —

(manus mea) et tu (nates tuae) volumus lascive ludere". Decorum me vetat locum pluribus explicare. Ceterum totus locus corruptus esse potest; nonnulli hoc putant, ut Dindorf., qui verba a *φίλον* usque ad *πυγῆς* non integra habet. Verbum *πληκτίζεσθαι* etiam Hom. in Il. *Φ*, 499 usurpat, ad quem locum Eustath. dicit, *πληκτίζεσθαι* esse *μάχεσθαι* vel *ἐρίζειν ἕως πληγῆς*. Vocem hanc etiam sensum vocabuli Latini „lascivire" habere elucet ex Strab. 11, p. 512 *πινόντων ἅμα καὶ πληκτιζομένων πρὸς ἀλλήλους ἅμα τε καὶ τὰς συμπινούσας γυναῖκας*.

Non idem usus est, cum praepositione poeta vult planum facere, aliquid ei advenisse quod iam adest, ubi coniunctiones copulativae *καί — καί* „et — et, cum — tum", poni possunt. Sic legimus Nub. 1450 *ἐμβάλλειν ἑαυτὸν ἐς βάραθρον μετὰ Σωκράτους* „et se inicere et Socratem". Vesp. 1037 *φησίν τε μετ' αὐτοῦ**) *τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι* „praeter illum se aggressum esse dicit febres". ib. 1057 *ἐσβάλλετέ τ' εἰς τὰς κιβωτοὺς μετὰ τῶν μήλων* = *καὶ τὰ μῆλα*. Ran. 1513 *αὐτοὺς μετ' Ἀδειμάντου . . ἀποπέμψω* „eos una cum A. dimittam". Cf. Pac. 1110. Pl. 891. Quorum locorum proprietas in eo cernitur, quod praepositio *μετά* et vocabulum cum ea copulatum obiecti partem se exhibent, ut iam elucet ex Pind. Ol. 11, 49. Plat. Rep. IX, 591, B. Phaedr. 253, E.

Haec habui quae de genetivo casu dissererem. Deinde dativum, quem supra bis exstare dixi, vides Av. 251 *ποτᾶσθαι μετ' ἀλκυόνεσσι* et Lys. 1283 *μετὰ Μαινάσι Βάκχιος*, quibus ex locis vulgaris poetarum usus cognoscitur (cf. Hom. *E*, 86 *ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἦ μετ' Ἀχαιοῖς*. *Δ*, 341 *μετὰ πρώτοισιν ἐόντας*. *Ω*, 258 *ὃς θεὸς ἔσκε μετ'*

---

*) Beutl.: *μετ' αὐτόν*, sensus autem aptius exprimitur genetivo casu quam accusativo („post Cleonem"); accedit, quod hic usus apud Arist. perrarus est, ut infra explicabimus. —

ἀνδράσιν): significat enim communitatem ac respondet Latinae praepositioni „cum" vel „inter".*)

Sequitur, ut exponam, quomodo Arist. accusativum usurpet, qui legitur tricies. Ac primum pauca dicam de locali potestate, quae primaria. Nihil praebent difficultatis loci quales sunt Eq. 765 *γεγένημαι βέλτιστος ἀνὴρ μετὰ Λυσικλέα* et Pl. 251 *ὃν ἐγὼ φιλῶ μάλιστα μετὰ σέ*, sed notio localis debilitata est et translata, quod ordo indicatur („secundum" = „nach" h. e. „nächst"); vid. Hom. *B*, 674 *κάλλιστος ἀνὴρ μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα*. — Deinde tempus significatur, post quod accidit aliquid, huius modi: *μετὰ ταύτην* (*δευτέρα*) Nub. 1131, 1134. *μετὰ τὰν Πύλῳ* Pac. 665. *μετὰ μεσημβρίαν* Av. 1499. *μετὰ ταῦτα* Eq. 135. Nub. 60. Pac. 72, 899. Av. 713. Lys. 525. Ran. 143.**) Pl. 707, 833. *μετὰ τοῦτο* Vesp. 119, 1021. Av. 811. Th. 631, 655. Ran. 1026. Eccl. 427. Pl. 678, 697, 727. Denique non praetermitto illud usitatum *μεθ' ἡμέραν* Pl. 930 „post initium diei" i. e. „interdiu". Nonnullis locis localis et temporalis significatio videtur mixta esse, velut Eq. 132 *μετὰ τοῦτον προβατοπώλης*. Nub. 30 *τί χρέος ἔβα με μετὰ τὸν Πασίαν*; Vesp. 1243. Eccl. 408.

---

*) Ran. 336 Kock. praepositionem *μετά* coniecit et scripsit:

χαρίτων πλεῖστον ἔχουσαν μέρος, ἁγνὰν ὁσίοις
μετὰ μύσταισι χορείαν.

Vulgo legitur *ἁγνάν, ἱερὰν* // *ὁσίοις μύσταις χορείαν*, quam lectionem Bekk., Bergk. aliique tradunt. Kock. vocem *ἱεράν* delendam esse existimat et pro *μύσταις* vocabulum *μύσταισι* restituendum, quod in optimis codd. legatur. Itaque hunc locum mutavit Fritzschio assensus, qui et ipse versus emendatione egere docuit et *ἅμα μύσταισι* scripsit. —

**) Invern., Bekk., alii habent *μετὰ τοῦτ'*, Rav. codicis auctoritatem secuti, cum Dind. vulgatam lectionem *μετὰ ταῦτα* servet; cf. Kock. ad h. l. —

§ 7.

ἀ μ φ ί.

Praepositio ἀμφί (Kuehner. II, 289 sqq. Schmidt. 36 sqq.) apud Arist. rarissima est. Bis cum dativo, ter cum accusativo, nusquam cum genetivo copulata est. Ex eo, quod quater in choro, ubi maior dicendi licentia est, legitur, concludi potest, praepositionem ἀμφί a proprio sermone Aristophaneo fuisse alienam.

Ingenita circumdandi vis, quam particula cum utroque casu constructa apud hunc poetam tenet, non discrepat cum significatione praepositionis περί; nusquam hanc primariam notionem particula transit. Locos igitur commemorare liceat: Nub. 595 ἀμφί μοι αὖτε, Φοῖβ' ἄναξ Δήλιε. Th. 995 ἀμφὶ δὲ σοὶ κτυπεῖται Κιθαιρώνιος ἠχώ. — Ach. 1072 τίς ἀμφὶ χαλκοφάλαρα δώματα κτυπεῖ;*) Lys. 1257 πολὺς δ' ἀμφὶ τὰς γέννας ἀφρὸς ἤνσει. Ran. 215 ἀμφὶ Νυσήιον Διὸς Διόνυσον ἐν Λίμναις ἰαχήσαμεν.

*) Hoc loco, qui unus non exstat in choro, Both. librorum lectionem praebet ἀμφιχαλκοφάλαρα et in nota dicit, proprie Lamachum dicendum fuisse ἀμφιχαλκοφάλαρον; sequitur Scholiasten, qui dicit: „ἀντὶ τοῦ πολύχαλκα· τραγικώτερον δὲ λέγει διὰ τὸ μεγαλορρῆμον τοῦ Λαμάχου". Sed recte emendavit Bekk.: ἀμφὶ χαλκοφάλαρα. —

Alteram dissertationis meae partem, quae est de praepositionum collocatione et de vocabulis cum iis compositis, quam primum in publicum edendam curabo.

De frequentia praepositionum, etiam earum, quas adhuc nondum tractavimus, hunc indicem conferre iuvabit:

	ἐν	εἰς	ἐπί	πρός	ἐκ	παρά	περί	ὑπό	διά	κατά	ἀπό	μετά	πρό	ἀντί	ὑπέρ	σύν	ἀνά	ἀμφί
Acharn.	43	30	22	25	31	11	18	22	11	10	6	5	3	2	6	—	1	1
Equit.	81	46	29	27	39	7	40	19	11	17	11	8	8	6	1	—	—	—
Nub.	40	52	21	39	32	12	18	21	29	21	12	8	4	7	1	2	—	1
Vesp.	55	47	44	35	18	19	18	15	16	20	22	13	5	5	4	4	—	—
Pac.	31	57	20	26	18	11	9	10	10	12	12	13	7	2	3	2	—	—
Av.	51	48	47	36	23	47	15	24	19	24	18	16	2	2	—	1	2	—
Lys.	38	38	36	29	22	19	21	24	11	6	17	10	—	2	2	4	1	1
Thesm.	32	20	20	26	19	8	10	11	10	11	7	3	4	3	5	3	—	1
Ran.	47	51	51	28	24	11	17	11	10	15	12	7	3	1	2	4	5	1
Eccl.	39	31	34	23	20	21	9	5	9	21	7	11	11	5	1	—	—	—
Plut.	29	34	29	22	20	21	11	14	30	6	12	18	3	11	—	1	—	—
	486	454	353	316	266	187	186	176	166	163	136	112	50	46	25	21	9	5

Theses controversae.

1. Thesm. 291 *φάλητα* vel *φαλλικόν* lectio est unice probanda.
2. Av. 543 lectio *ἐπ' ἐμοῦ* melior quam *ἐπ' ἐμοί*.
3. Ach. 986 scribendum esse conicio *τῷ δ' ἐπείγοντ' ἐπὶ τὸ δεῖπνον* etc. et hunc versum cum insequenti inserendum post v. 975.
4. Scribo Ran. 1052: *πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοῦτον καὶ περὶ Φαίδρας ξυνέθηκα;*
5. Plut. 1131 sic lego: *ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικ' ἤδη στρέφειν.*

Vita.

Natus sum ego Albertus Otto Vogelreuter pridie Id. Dec. anni MDCCCLV in Russ Pr. Fide evangelica educatus eique addictus sum. Frequentavi gymnasium Gumbinnense, quod tum sub auspiciis viri humanissimi Arnoldtii, deinde gymnasium Insterburgense, quod Krahio rectore maxima gloria florebat. Mense Aprili anni h. s. LXXVI maturitatis testimonio accepto in numerum civium academiae Albertinae receptus sum et in studia incubui philologica. Scholas adii virorum clarissimorum

Lehrs†, Friedlaender, Jordan, Ludwich,
Schade, Ruehl, Walter, Arnoldt, Baumgart.

Quibus omnibus viris, neque minus illis, qui antea me litteris instituerunt, gratias ago quam maximas, semperque gratiam habebo.